1,25

DE D. JVNII BRVTI GENERE DICENDI

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM IENENSIVM ORDINIS

CONSENSV ET AVCTORITATE

AD

SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ERNESTVS GEBHARD

WANFRIDIENSIS.

IENAE

TYPIS G. NEVENHAHNI

MDCCCXCI

Iam multi viri docti in studio sermonis cottidiani populi Romani operam consumpserunt. Nimirum merito atque iure: neque enim e polita saepe et compta dictione, quae in scriptis invenitur, sed e verbis cottidianis cogitandi dicendique consuetudo populi propria perspicitur. Propterea est dolendum, quod fontes manant pauci, quibus hoc studium irrigari possit. Uberrimam aptissimamque materiam, qua hunc dicendi usum cognoscamus, praebent epistulae, quae ex antiquitate traditae sunt, quibus veteres facilitatem dicendi et socordiam quandam intermiscere solerent. Itaque epistulae proxime ad verbum vivum accedunt.

Epistularum autem, quae ex Romanorum temporibus ad nos pervenerunt, nullae copiam uberiorem habent verborum locutionumque, quae ex sermone cottidiano fluxerunt, quam epistulae inter Ciceronem familiaresque in vicem datae. Quodsi Cicero ipse dicit [ad fam. IX 21, 1 'epistulas vero cottidianis verbis texere solemus'] in litteris scribendis sermonem cottidianum valere, hunc eo melius cognoscemus apud eos auctores, qui cum in studiis atque humanitate minus perfecti quam Cicero essent, minore dicendi elegantia uti consuerant.

Novissimum tempus haud parvum librorum numerum protulit, in quibus de usu dicendi, cui nonnulli 'familiares' Ciceronis favent, agitur. Affero libellos ab Opitz [1], Land-

1) E. Opitz, 'Quo sermone ei, qui ad Ciceronem litteras dederunt, usi sint'. Progr. Naumburg a. S. 1879.

graf[1]), Schmalz[2]), Schirmer[3]), Becher[4]), Burg[5]), Hellmuth[6]) conscriptos; huc etiam spectant Woefflin[7]), Rebling[8]), Sittl[9]), qui viri docti non, ut illi, de genere dicendi scriptorum singulorum, sed de universo sermone cottidiano disseruerunt. Ex legendis horum et illorum libellis studium scribendi mihi incitatum est. Itaque in D. Junii Bruti epistularum sermonem adhuc nondum accuratius pertractatum — Opitz et Landgraf eum obiter attigerunt — diligentius atque distinctius inquirere mihi proposui. Ex Bruti epistulis decem apud Ciceronem 'ad familiares' traduntur: XI 1; 4; 9; 10; 11; 13a; 19; 20; 23; 26: ex quibus spero fore, ut nonnulla ad

1) Gust. Landgraf, Bemerkungen zum sermo cottidianus in den Briefen Ciceros und an Cicero; Bl. f. d. bayr. Gymn. w. 1880, p. 274—80; 317—31.

2) J. H. Schmalz, Ueber den Sprachgebrauch der nichtciceronischen Briefe in den Ciceronischen Briefsammlungen ZS. f. d. Gymn. w. 1881, p. 87—141. [Ser. Sulpicius Rufus, M. Claudius Marcellus, C. Cornelius Dolabella, M.' Curius]. — Ueber die Latinität des P. Vatinius in den bei Cicero ad fam. V. 9; 10 erhaltnen Briefen. Progr. Mannheim 1881. — Ueber den Sprachgebrauch des Asinius Pollio in den bei Cicero ad fam. X 31—33 erhaltnen Briefen mit Berücksichtigung der bei Quintilian, Seneca u. s. w. überlief. Fragmenten aus dessen Reden und Geschichtsbüchern. Festschr. z. 36. Philol. Versammlung zu Karlsruhe 1882 p. 76—101; zweite Aufl., München, C. H. Beck 1890. — Ueber Charakter und Sprache des C. Matius. Commentationes Woelfflin. Lips. Teubn. 1891 p. 269—274.

3) K. Schirmer, Ueber die Sprache des M. Brutus, Jahresbericht d. Lyceums z. Metz, 1884.

4) F. Becher, Ueber den Sprachgebrauch d. M. Caelius Rufus, Progr. Ilfeld 1888.

5) Frz. Burg, 'De M. Caelii Rufi genere dicendi' diss. Lips. 1888.

6) H. Hellmuth, Ueber die Sprache der Epistolographen Galba und Balbus, Prgr. Wuerzburg 1888.

7) E. Woefflin, Bemerkungen zum Vulgaerlatein, Philol. Bd. 34, 1876, p. 137 ss.

8) O. Rebling, Versuch einer Characteristik der römischen Umgangssprache, Kiel 1883.

9) K. Sittl, Was ist Vulgaerlatein? Verhandlungen d. 40. Versammlg. Deutscher Philolog. und Schulmänner in Görlitz, p. 38—392; Leipz. 1890.

sermonem cottidianum cognoscendum idonea afferre possim [1]). Qua quidem in re non praetermittenda esse mihi putavi, quae aliunde petita commemoratione digna essent.

1. DE DELECTU VOCABULORUM LOCUTIONUMQUE.

I.

De vocabulis locutionibusque, quae apud Brutum primum occurrunt.

a) de nominibus.

copiolae: XI 13a [2]), 2 'recurri ad meas copiolas; sic enim vere eas appellare possum', ich eilte zu meinem Truppenhäuflein zurück, so nur kann ich in Wahrheit dasselbe nennen. Haec a copia vox diminutiva alibi nusquam invenitur. Talia vocabula, quae quidem cum ad significandas festivitates varietatemque apta sint, maxime esse in sermone cottidiano [3]) usitata inter omnes satis constat. Ac ne Cicero quidem dubitat, iis epistularum locis, quibus sensus accuratiorem terminum postulat, eius modi vocabula ex usu cottidiano depromere atque etiam novare. In primis epistulae ad Atticum datae, in quibus Cicero sermoni familiari plurimum indulget, iis abundant neque raro inveniuntur [4]) in epistulis ad familiares missis. Itemque qui ad Ci-

---

1) Bruti vitam atque mores et tempus, quo epistulas dederit, cum de hac B. Nacke, Der Briefwechsel zw. Cicero u. Dec. Brutus, N. Jahrbb. suppl. VIII 1875/76 p. 647—700, L. Gurlitt, D. Brfw. zw. Cic. u. D. Brut., N. Jahrbb. f. Phil. u. Paed. 1880 p. 609—623, de illa causa Drumann 'Gesch. d. Röm.' 4, 9, Pauly 'Realencyclopaedie' IV 513, 19 iam satis exposuerint, omitto.

2) In locis afferendis sequor editionem a Baiter et Kayser factam.

3) A. Stinner, 'De eo, quo Cicero in epistulis usus est, sermone'. Oppeln 1879, p. 9.

4) Krause, Stilistische Bemerkungen aus Ciceros Briefen, Pr.-gr. Hohenstein 1869, p. 7, 8; Opitz l. l. p. 15; 19; Stinner l. l. p. 9—

ceronem litteras dederunt, hunc dicendi usum sequuntur; ut Caelius ad fam. VIII 6, 4: 'cohorticula'[1]). Talia vocabula diminutiva saepe sunt semel dicta.

insectatio: XI 1, 2 'tanta est hominum insolentia et nostri insectatio', so gross ist der Uebermuth und die Feindseligkeit der Menschen gegen uns. Hoc quoque nomen apud eos qui ante Brutum scripserunt vix reperias. Verbum autem 'insectari' apud Plautum, Ciceronem, alios hac vi praeditum exstat. Unde suspicer 'insectatio' quoque nomen tum si non in usu scribentium, at certo loquentium fuisse. Eodem modo — ut unum exemplum afferam — in nostra quoque lingua a quocunque verbo substantivum in 'ung' exiens derivare licet, quo non tam in emendata atque perpolita oratione vel scriptione, quam in usu loquendi cottidiano vel in epistulis scribendis utimur. 'Insectatio' nomen ad formandum hoc loco ipso nescio an eo adductus sit, quod quaedam concinnitas cum nomine 'insolentia' antecedenti placuit. Talia substantiva in 'io' desinentia inprimis naturae epistularum convenire, cum ea, quae explicanda sint sermone, brevissime vel accuratissime exprimant, multis eius usus exemplis in epistulis et Ciceronis et aequalium manifestatur[2]).

11; Schmalz ZS. p. 107; P. Meyer, 'De Ciceronis in epistulis ad Atticum sermone' Prgr. Bayreuth 1887 p. 37—45; Antibarbarus 1888 I p. 35; Burg l. l. p. 42. Praeterea sunt de hac re inspiciendi libelli hi: Guericke, 'De linquae vulgaris reliquiis ap. Petron. et in inscriptionibus parietariis Pompeianis, Gumbinnae 1875 p. 29; Woefflin l. l. p. 137. Landgraf l. l. p. 319; Kuehner, Lat. Gram. I, p. 662; Naegelsbach (1881) Lat. Stilist. § 46.

) Cfr. p. 6 ann. 2.

1) Burg l. l. p. 42.

2) Krause l. l. p. 7. 8; Meyer l. l. p. 18—22; Schirmer l. l. p. 8; Stinner l. l. p. 7. 8. — Rara et semel dicta eius modi substantiva ex prioribus Cic. orationibus conscripserunt: Hellmuth 'Prior. oration. Cic. sermo', Act. Seminar. Erlang. I 1878 p. 125; Thielmann, Stilist. Bemerkungen zu den Jugendwerken Ciceros, Bl. f. d. bayr. Gymn. w. 1880 p. 357.

'Insectatio' quidem ab usu et Ciceronis et ceterorum scriptorum illius aetatis abhorret, sed temporibus posterioribus a Livio, Quintiliano, Tacito, Suetonio identidem traditur.

Inalpini: XI 4, 1 'progressus sum ad Inalpinos cum exercitu', ich bin mit einem Heere bis zu den Alpenbewohnern vorgerückt. Eodem brevitatis studio epistulari ductus Brutus verbum 'Inalpini' format. Ut 'Inalpini' aetate Ciceroniana, quae appellatur, hoc uno loco invenitur, ita a scriptoribus posterioribus rarissime exhibetur: mihi sunt tantummodo noti loci hi: Plin. 3, 37 [Adiecit formulae Galba imperator ex Inalpinis Avanticos atque Bodionticos]; ibid. 47 [Alpes populique Inalpini multis nominibus]; Suet. Aug. 21 [gentes Inalpinae]. Usus substantivus huius pluralis, quem apud Brutum et apud Plinium 3, 37 legimus, admonet de eodem usu pluralium 'Transalpini, Transrhenani', quae vocabula creberrime vim substantivam obtinent.

Ventidianus: XI 13a, 3 'succlamatum est ei frequenter a militibus Ventidianis', man rief ihm häufig von Seiten der Ventidianischen Soldaten entgegen. Praeter hunc locum hoc adiectivum exstat fragm. [ep. Cic. ad C. Pausam] ed. Baiter et Kayser vol. XI p. 43: 'nos Ventidianis rumoribus calficimur'. 'Ventidianus' est forma a Ventidio recte derivata, cum exitui 'us' littera vocalis antecedat; cfr. Varr. Ling. Latin. p. 220 M.; Reisig § 109 c. ann. Haas. 193; Schmalz 'Asin. Polio' ed. alt. Münch. 1890 p. 11; Schnorr v. Carolsfeld 'Suffix anus' Arch. f. lexicogr. I p. 108 s.; 177.

α) De duobus nominibus, quae apud Brutum primum alia atque apud priores scriptores vi praedita exstant.

livor: XI 10, 1 quod isti ne faciant, summa malevolentia et livore [1]) impediuntur', die Bewussten aber hindert

1) Similes verborum compositiones atque hac loco 'malevolentia et livor' conscriptae inveniuntur: ap. Heraeum ad Tacit. hist. 1, 1; ap. Weinkauf 'de Tacito dialogi qui de oratoribus inscribitur auctore', Cöln 1881 p. 187; Schmalz 'Vatinius' p. 47.

daran ihre ganze böswillige Gesinnung und der Neid. 'Livor' nominis ante Brutum exstant sola exempla duo: Plaut. Truc. IV, 19 'iam livorem tute scopulis istoc concinnes tuis' et auct. ad Her. II 5, 8 'si tumore et livore decoloratum est corpus mortui'. His locis 'livor' vim propriam habet = blauer Fleck; item exhibet Lucretius 3, 527 'livescere' = bläulich werden.

'Livor' pro 'invidia' positum demum aetate Ciceroniana, quae appellatur, in usum venit; nam hoc loco Bruti, quem supra attuli, primum 'livor' pro 'invidia' et apud Ciceronem 'lividus' pro 'invidus' Tuscul. IV 12, 28 ['Ergo et invidi et malevoli, et lividi et timidi et misericordes, quia proclives ad eas perturbationes, non quia semper ferantur'] exhibentur. Sane quidem hunc dicendi usum Schmalz 'Antibarb.' II p. 27 merito ab optima latinitate abiudicat, cum alia eiusmodi exempla apud scriptores classicos, qui dicuntur, non inveniantur et illo loco, quem ex Ciceronis Tusculanis Disputationibus notavi, fortasse corruptela sit statuenda [cfr. Baiter et Kayser, Mueller, qui hoc loco legerunt: 'malevoli (et lividi)']. Quae quamquam ita sunt, illa aetate eum colorem corporis, qui ictibus, planctibus talibusque rebus efficitur, in colorem, quem invidia faciei imprimit, transferri coeptum esse illo loco Brutino mihi persuadetur: praesertim cum iam aetate insequenti, quae dicitur Augustea, multi scriptores nomen 'livor' cum 'invidia' nomine aequare non dubitent. Inprimis poetae hanc translationem amant, velut Horat. sat. I 4, 93; Tibull. I 6, 13; Propert. I 8, 29; Ovid. Am. I 15, 39; ep. ex Pont. III 4, 24; 16, 47; ex dictione poetica in orationem solutam influxit, velut M. Annae. Senec. Controv. II 14, fin.[1]); Plin. Pan. 3, 4 Tacit. hist. 1, 1; Suet.[2]) Cal. 34.

1) Hoc loco utrum 'sententiam lividiorem dixit' an 'sententiam vividiorem dixit' sit legendum, incertum est.

2) Cfr. Bagge 'De elocutione C. Suetoni Tranquilli', Upsala 1875 p. 33.

vacuitas: XI 10, 2 '[primum omnium, quantum perturbationem rerum urbanarum afferat obitus consulum] quantamque cupiditatem hominibus iniciat vacuitas', und welche Leidenschaft bei den Menschen die Vakanz erweckt. Vocabulum, quod est vacuitas, in Ciceronis epistulis nusquam, sed quattuor locis librorum philosophicorum exstat: de fin. I 11, 37. 'Nam quoniam, cum privamur dolore, liberatione et vacuitate omnis molestiae gaudemus'; quibus verbis Cicero Epicureum illud: ἡ παντὸς τοῦ ἀλγοῦντος ὑπεξαίρεσις [Gell. N. Att. II 6, 12] effingit. Eandem notionem nomen 'vacuitas' etiam ceteris locis Ciceronianis obtinet: de fin. II 11, 34 'vacuitas doloris'; Tuscul. Disp. V 14, 42 'vacuitas aegritudinis'; de off. I 21, 73 'vacuitas ab angoribus'. Brutus sine dubio sive ex libris sive ex sermonibus Ciceronis hanc vocem novam cognovit eamque fortasse quasi iocose in epistula ad eundem Ciceronem data adhibet ad res publicas, quae tum erant — utroque enim consule sublato republica sine magistratu erat — significandas. Paullo post Brutum verbum 'vacuitas' apud Vitruvium II 7, 2 ad notionem 'leerer Raum' exprimendam adhibetur. Alterum autem exemplum eius usus qui apud Brutum est apud scriptores Romanorum frustra quaeritur.

b) de usu singulari praepositionis 'a'.

a certo sensu et vero iudicare de aliquo: XI 10, 1 'tu enim a certo sensu et vero iudicas de nobis; [quod isti ne faciant, summa malevolentia et livore impediuntur], du urteilst über uns von einem sichern und wahren Parteistandpunkte aus. 'Sensus' hac vi praeditum exstat apud Ciceronem locis multis velut pr. Mil. 15, 42 'nihil est enim tam ... flexibile quam voluntas ergo nos sensusque civium'; pr. Marc. 6, 16 'nostri enim sensus ut in pace semper, sic tum etiam in bello congruebant'; Phil. X 2, 4 'qui est iste tuus sensus, quae cogitatio? Brutos ut non probes, Antonios probes? ad Att. XV 1a, 3 'ego autem perspexi omnem

Hirtii sensum'; ibid. XV 7 'valde mihi placebat sensus eius de re publica'; ad fam. I 8, 2 'difficile est sensum in republica praesertim rectum et confirmatum deponere'; ibid. I 9, 13 'unus fere sensus fuit bonorum omnium'. — Sensus hoc loco Bruti, quem supra protuli, et Ciceronis multis locis est vox politica, quae in sermonibus eorum, qui in republica partes egerunt, percrebuit. Saepissime hic usus in epistulis obviam fit. Quem autem 'a' praepositionis usum mirum apud Brutum legimus: 'a certo sensu et vero iudicare' = von einem sichern und richtigen Parteistandpunkt aus urteilen? Pervulgatissimus est sermo: 'iudicare ex aliqua re' et apud comicos [ut ap. Ter. Eun. I 2 117 'atque ex aliarum ingeniis nunc me iudicet'; Heaut. V 1, 7 'illos ex tuo ingenio iudicas; ap. Turpil. 19 frgm. Ribb. II 'nunc me ex aliorum ingeniis iudicat'] et apud Ciceronem [pr. Caec. 23, 65 'ex aequo et bono iure rem iudic.' de leg. I 16, 45 'prudentem non ex ipsius habitu, sed ex aliqua re externa iud.]; praeterea et iam apud Terentium [Adelph. V 6, 4 'hodie iudicavi animo meo'] et apud Ciceronem [ad fam. III 4, 1 'multis argumentia iud.'; de off. II 22, 79 'pondere iud.'; de Div. II 43, 91 'sensu oculorum iud.'] exstat: 'iudicare aliqua re'. At 'iudicare ab aliqua re', quod hoc loco Brutino legimus, sui simile non habet. Omnino 'iud. ab aliqua re' idem atque 'iud. ex aliqua re vel aliqua re' non valet; transtulerim illud 'urteilen vom Standpunkte aus'; hoc 'urteilen gemäss'. Fortasse in hoc scribendo Brutus ante oculos habuit locutiones, ut 'esse a, facere a, stare a', quae in rebus publicis ad partes significandas adhibentur. Attamen haec locutio ab urbanitate abhorrere et emanasse ex sermone cottidiano videtur, qui phrases inter se miscere solet; neque prorsus quidem a scriptoribus hic usus 'a' praepositionis alienus est; similiter fere scriptum est in epistula Balbi: ad Att. IX 7, B 3 'sed illud certe scio me ab singu-

lari amore ac benevolentia, quaecumque scribo, tibi scribere' [1]). — Non idem igitur atque Hand Tursell. I p. 29, Opitz l. l. p. 8 de locutione 'a certo sensu et vero iudicare' censeo; ii enim 'a' = 'secundum' excipiunt.

c) de singulari usu particulae (valde) 'quam'.

valde quam: XI 13a, 3 'nam suos [milites] valde quam paucos habet', denn von seinen Soldaten hatte er nur noch ganz wenige. Illud semel dictum 'valde quam' originem ex usu cottidiano ducit, unde aliae eiusmodi locutiones, quae pariter atque 'valde quam' pondus quoddam adiciunt, emanaverunt, velut 'admodum quam' Plaut. Amph. I 3, 43; 'nimis quam' Most. II 2, 79; Truc. II 5, 15; 16; Capt. I, 1, 34 [2]); 'oppido quam' Liv. 36, 25, 3; 39, 47, 2; 'per quam' Plaut. Bach. III 6, 16; Cic. de or. II 49, 201; Cael. ad fam. VIII 4, 2; 'sanequam' cfr. p. 30. De illis accuratissime egit Woefflin 'Lateinische und romanische Comparation' Erlang. 1879 p. 27 s.; arch. lexicogr. I p. 99, praeterea est inspiciendus Koehler, 'De auctorum belli Africani et belli Hispaniensis latinitate' in Act. Seminar. philol. Erlang. I p. 413.

Cuiusmodi locutiones nimis subtiles in sermone cottidiano omnium gentium sunt pervulgatissimae et ab iis scriptoribus, qui in dicendi licentia quadam et indulgentia versantur, creberrime exhibentur, cfr. Rebling l. l. p. 30. Quare merito contendi potest Brutum illud 'valde quam', quod nescio an in sermonibus exstiterit, ex usu dicendi vitae cottidianae hausisse.

d) de verbis simplicibus eorumque structuris.

mordere: XI 23, 2 'si frenum momorderis, peream, si te omnes, quot sunt, conantem loqui ferre possunt'; 'frenum mordere' = in die Zügel knirschen i. e. die Zähne weisen, Widerstand leisten, sich sperren, ut transfert A. Otto: 'Die

---

1) Ad hunc locum cfr. Hellmuth, Sprache d. Epistolographen S. Sulp. Galba et L. Cornelius Galba, Prgr. Wuerzburg 1888 p. 41.

2) Cfr. Brix ad hunc locum.

Sprüchwörter und sprüchwörtliche Redensarten der Römer' Leipz. 1890 p. 146. 'Frenum mordere' ab equo qui frenum dentibus tenens equiti repugnat, ad hominem ferocem et iussa detrectantem translatum legitur praeter hunc locum apud Ciceronem [1]) ad fam. XI 24, 1 [sed, ut mones, frenum momordi'], qua epistula Bruto respondet; apud Apoll. Sidon. ep. IX 6, 2 ['veluti frenos momordit']; similem notionem habet illud apud L. Ann. Senec. de Tranquill. animi XV i. fin. ['Desciscat oportet a solito et efferatur et mordeat frenos et rectorem rapiat suum']. At alia vi praeditum = 'frenum accipere' [Vergil. Liv.] exstat 'frenum mordere' apud Tibull. I 3, 42 ['Non domito frenos ore momordit equus']; apud Stat. Silv. I 2, 28 ['subiit leges et frena momordit Ille solutus amor']. Haec locutio, quam scriptores ante Brutum nusquam proferunt, e sermone poetico videtur in cottidianum influxisse, quippe qui translatis phrasibus libenter utatur; cfr. Antibarb. I p. 555.

tollere: XI 20, 1 'nisi dictum quod diceret te dixisse, laudandum adulescentem, ornandum, tollendum; se non esse commissurum, ut tolli posset', ausser dass du geäussert habest: dem jungen Manne müsse man Lob und Ehre angedeihen lassen und forthelfen; er werde es nicht dahin kommen lassen, dass man ihm forthelfe. Sermo cottidianus vocabulis, si fieri potest, vim dubiam supponit; ita huius verbi ambignitatem [2]). Brutus ex vitae usu cottidianae nescio an hauserit.

e) de verbis compositis eorumque structuris.

commendare: XI 10, 2 'satis me multa scripsisse, quae litteris commendari possint, arbitror; scio enim, cui

---

1) Cfr. Hoppe 'Zu den Fragmenten u. d. Sprache Ciceros'. Prgr. Gumbinnen 1875 p. 7.

2) Loco priore in verbo 'tollere' inest vis 'zu Ehren erheben', altero loco 'aus dem Wege räumen'.

scribam'. 'Litteris [1]) commendare' = einem Briefe anvertrauen. Hoc apud Brutum primum legitur, tamen iam diu inter locutiones cottidianas fuisse suspicor, cum 'commendare' eadem vi, qua supra, praeditum apud comicos [Plaut. Terent.] creberrime obviam fiat. Cicero quidem hanc phrasin nondum praebet, sed 'scriptis mandare', 'litteris mandare' = schreiben, aufzeichnen. Quibus locutionibus Antibarbarus I p. 272 eandem notionem, quam illi Brutino 'litteris commendare', attribuit; id, quod non rectum equidem existimo. Haec mea sententia confirmatur eo, quod H. Weber 'Quaestiones Catullianae' Prgr. Eisenach 1890 p. 26 s. dicit: 'In lingua latina praefixum 'com' verbo notionem perfectivam reddit'; p. 31 'Neque vero exempla, quae innumerabilia fere sunt, deficiunt eam sermonis legem, sed eius legis distinctio et ratio ab ipsa huius particulae 'com' — origine tracta, ad quam legem non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti erant Romani, illis quidem in interpretandis iis, quae sentiebant cogitabantque recta ultro imperabat, sed non prohibebat contrarios in interpretatione nostratium hominum errores'. At iam Cicero ad phrases formandas compositum 'commendare' pro verbo simplici 'mandare' adhibet, etsi notio 'anvertrauen' procul abest, velut 'monumentis, posteritati commendare'. Similiter exhibet auctor b. Afr. 34, 2 'se fugae comm.' [2]), cum Caesar b. Gall. 2. 24; 5, 18 'se fugae mandare' tradat. Quibus in locutionibus ne minima quidem vis propria praepositionis (con) remanet. Propterea Weber l. l. p. 31 mihi videtur nimis audacter di-

1) Annoto Brutum ad 'Brief' exprimendum 'epistula' verbum nusquam, sed octies 'litterae' tradere; uno loco vocabulum 'libellus' exhibet: XI 11, 1 'ut ex libellis eius animadverti'; cuius de nominis notionibus egerunt: Meyer l. l. p. 42; Birst, 'Antikes Buchwesen' Berl. 1882 p. 22—44; Landwehr, 'Studien über das antike Buchwesen' Arch. f. Lexicogr. VI p. 242—248.

2) Quo de sermonis usu cottidiani proprio cfr. Koehler l. l. p. 382; Woefflin, 'Latinität des Asinius Pollio' arch. lexicogr. VI p. 89.

xisse: 'Eandem vero in hac usus diversitate stabilitatem et constantiam omnes bonae antiquitatis scriptores et poetas sustentatam praebere id quidem, quamquam ipsa horum omnium cognitione non edoctus, tamen satis idonea notitia adiutus firmoque certarum notionum praesidio innixus iure meo fidenter confirmare ausim'. — Notus quidem est mos atque imprimis sermonis cottidiani proprius, ut verba composita pro verbis simplicibus sine differentia ponantur; vulgus enim plenioribus formis libenter usum pro verbis simplicibus cum verba composita tum per 'con' praepositionem effecta ponit; cfr. Woelfflin 'Vulgaerlat.' Philol. 34 p. 158 s.; Thielmann, 'De sermonis proprietatibus, quae leguntur apud Cornificium et in primis Ciceronis libris' Strassburg. 1879 p. 6.; Rebling l. l. p. 29. — Scriptores temporum posteriorum hunc dicendi usum semper fere sequuntur neque tamen eadem notione, qua Brutus loco, quem supra diximus, utitur; nam ab iis verbum compositum 'commendare' pro simplici 'mandare' plerumque traditur.

conferre: XI 13a, 3 'in posterum diem iter suum contulit', er verschob seinen Marsch auf den folgenden Tag. Hoc est eo notabilius, quod paullo post exstat: 13a, 4 'meumque iter eo contuli' = und ich richtete meinen Marsch dahin, cfr. p. 52, ubi de hac re agam. Omnino eidem verbo paullo post iterato aliam significationem attribuere Brutus videtur amare [1]). — 'In posterum diem iter suum conferre' illud quidem nusquam alibi legi, sed similem vim atque hoc loco tenet 'conferre' locis prius traditis: Turpil. 134 frgm. Ribb. II 'abhinc triennium Sacerrimum domicilium hoc quidem contulit Leno'; quo loco ad sententiam quae est 'Verlegen einer Wohnung' adhibetur. Eadem notio localis verbi 'conferre' in sermone militari occurrit: b. Afr. 68, 2 'castra ex campis in collem conferre'.

1) cfr. p. 12 [tollere].

Omnino videtur 'conferre' in primis in sermone castrensi fuisse usitatum; nam legimus b. Alex. 37, 3 castra oppido conf.; ibid. 61, 2 castra castris conf.; aliis locis. Qua ex ratione dicendi Brutus illud 'in posterum diem iter conferre' — 'conferre' [igitur] ad tempus translatum — nescio an formaverit, praesertim cum tum ipsum in bello castrisque versatus tales locutiones saepissime in ore habuerit.

descendere: XI 1, 3 'si melior casus fuerit, revertemur Romam: si mediocris, in exsilio vivemus; si pessimus, ad novissima auxilia descendemus', im günstigen Falle kehren wir nach Rom zurück; geht es einigermassen, so leben wir in der Verbannung; geht es ganz schlimm, so greifen wir zum Aeussersten. 'Descendere ad novissima auxilia' = zum Aeussersten greifen. Verbi 'descendere' apud scriptores priores usque ad Varronem, qui eo utitur octo librorum de re rustica locis, qui tamen nihil a genuina notione alieni habent, quattuor exempla sunt, scilicet haec: Plaut. Asin. IV 1, 32 'neque [illa] in lectum inscendat proxumum, neque quom descendet inde ..'; ibid. III 3, 120 'Asta ut descendam nunc iam in proclini, quamquam nequam es'; Caton. frgm. ed. Jordan [Lips. 1860] p. 58, 10 'Descendit de cantherio, inde staticulos dare, ridicularia fundere'; Lucil. frgm. ed. Mueller [Lips. 1872] XXIX, 43 'cum ipsi in lutum descendant, cum alios detrahant'. — 'Descendere' igitur a vulgo libenter ad proverbiales quasdam voces formandas easque, quae quasi quandam ignominiam redolent, adhibitum esse videtur. Illud quoque 'descendere ad novissima auxilia', quod apud Brutum legimus, ex consuetudine cottidiana dictum est significatque descendere ad id auxilium, quod hominibus desperatis solum relinquitur: Brutus sociique mortem sibi consciscere volunt, si omnis spes se fefellerit. Pariter in nostro sermone cottidiano usitatum est, mortem per euphemismum quendam circumscribere. Quamquam

illud Brutinum ipsum nusquam alibi exstat, tamen locutiones, in quibus 'descendere' eandem, quam supra, vim obtinet, haud raro reperiuntur. Doering ille quidem ad Plinii epp. 10, 40 contendit verbum 'descendere' = zum Aeussersten sich entschliessen latinitate argentea demum inveniri, at Antibarbarus I p. 385 exempla scriptorum optimorum affert. Cuius modi exempla sunt: Caes. d. b. G. 6, 16 'ad innocentium supplicia descendere'; b. c. 1, 9 'ad omnia descendere'; ibid. 1, 81 'ad eruptiones descendere'; ibid. 3, 9 'ad extremum auxilium descendere' ibid. 3, 83 'ad gravissimas verborum contumelias descendere'; Cic. divin. in Caecil. 1, 1; pr. Sext. 41, 89 'descendere ad accusandum' = zum Aeussersten greifen, nämlich zum Anklagen

exspectare: XI 1, 4 'cur novissimum tempus exspectemus potius, quam nunc aliquid moliamur'? warum sollen wir abwarten, bis es zum Aeussersten kommt, und nicht lieber jetzt gleich einen entscheidenden Schritt thun? Illud 'novissimum tempus exspectare' apud ceteros scriptores frustra quaeritur. Notio verbi 'exspectare' hoc loco timorem quendam includit; eandem vim 'exspectare' obtinet ap. Terent. Phorm. I 4, 16; Hecyr. III 4, 8; ap. Cic. Tuscul. II 12, 28; ap. Caes. d. b. G. 6, 1; ibid. 7, 3; al. loc.

obstringere: XI 10, 5 'ut omnes iam meos amicos aere alieno obstrinxerim', so dass ich alle meine Freunde durch Anleihen in Mitleidenschaft gezogen habe. Notabile est, verbum 'obstringere' quasi quandam vim passivam tenere, i. e. Brutus est amicis obstrictus, cum ab iis pecunias mutuari coactus esset, neque vero amici Bruto obstricti sunt, quod e verbis facile concludi potest. Propterea illud merito a Bruto perverse dictum existimo. Ceterum verbum 'obstringere' ad varias locutiones formandas adhibitum est: 'collum obstringere' Plaut. Amph. III 2, 72; Aul. I 1, 39; Curc. V 3, 15; 28; 'follem obstringere ob gulam' Aul. II 4, 23. Ex

usu comicorum in iuridicum sermonen influxisse ibique esse servatum videtur; nam legimus adhibitum ad locutiones formandas, quae ad obligationem per iusiurandum, fidem, foedus, religionem pertinent, velut Phil. II 33, 83; XI 12, 29; d. or. II 66, 268; ap. Caes. d. b. G. 1, 31. Quas locutiones Brutus hoc loco, quem supra dixi, etsi perverse imitatus videtur.

subsistere: XI 10, 5 'non, si Varronis thensauros haberem, subsistere sumptui possem', nicht, wenn ich die Schätze Varros hätte, wäre ich im Stande, den Aufwand auszuhalten.

Eandem sententiam praebet verbum 'subsistere' non nisi postea apud Claud. in Eutrop. 2, 368 'tantis periculis'; apud Cels. dig. XXI 2, 62 § 1 'liti'. Aetate, quae ante Brutum fuit, verbum 'subsistere' haud ita crebro exstat; plurimis locorum, quibus legitur, est terminus militaris = Halt machen, ex qua significatione vis gravior = Standhalten, aushalten effluxit; hanc legimus iam apud Plautum Epid. I 1, 78 'non potes subsistere: itaque in te irruunt montes mali'; deinde apud Caesarem d. b. G. 5, 10 'ancorae funesque subsistunt'; apud Ciceronem 'subsistere' nusquam occurrit, nisi forte editio Aldina recte scripsit pr. Mil. 19, 49 'sic Miloni, cum insidiator esset, si illum noctu ad urbem accessurum sciebat, subsistendum'. In primis igitur 'subsistere' in elocutionibus militaribus obviam fit, quare concludere liceat Brutum hoc semel traditum 'sumptui subsistere' ex sermone cottidiano militum dixisse; quippe qui amet, voces militares ad vitae privatae res referre.

succlamare: XI 13a, 3 'succlamatum est ei frequenter a militibus Ventidianis' man rief ihm häufig von Seiten der Ventidianischen Soldaten zu. Cuius verbi alterum exemplum ex aetate neque priore neque optima traditur; aetate etiam argentea, quae appellatur, satis raro legitur [Liv., Val.

Max., Quintil. [1]). — Actio succlamandi in contionibus hominum vel militum fit, id quod iam notio verbi per se indicat; verisimile est hoc quoque verbum inter vocabula vitae cottidianae fuisse.

II.

De vocabulis locutionibusque, quae apud Brutum et apud scriptores priores, non apud Ciceronem exstant.

a) de substantivis.

verna: XI 19, 2 'his ne quam patiare iniuriam fieri in senatu vernarum causa, a te peto', lass ihnen kein Unrecht geschehen im Senate wegen der Sclaven, darum bitte ich dich. Haud ita saepe 'verna' a scriptoribus et prioris et optimae aetatis exhibetur; ex prioribus velut apud Plautum: Amph. I 1, 24; 25; IV 2, 13; Mil. III 1, 103; apud Lucilium frgm., ed. Mueller inc. libr. 80 legimus; ex aetatis Ciceronianae scriptoribus hoc nomine Caelius ad fam. VIII 15, 2 et Brutus hoc loco utuntur. De origine huius verbi annotat Nonius 43, 12: 'vernas veteres appellabant, qui vere sacro fuerant nati et habebatur nomen hoc pro vitabili maledicto. Plautus — Lucilius': [vernam et cercopithecon, inc. libr. 80]. Quam notionem veteres verbo 'verna' attribuerint, satis apparet ex iis, quae Nonius affert. A Ciceronis usu 'verna' prorsus abhorret; nescio an illud nomen ut nimis vulgare aspernatus sit. Satis crebro apud Ciceronem 'mancipium' pro 'verna' nomine occurrit.

6) de verbis.

consolari: XI 11, 2 'si non potueris, hoc te consolabere, [quod me de statu meo nullis contumeliis deterrere possunt], wenn du es nicht kannst, so wirst du dich damit

---

1) Pseud. Quint. declam. 18, 9 'publica succlamatus invidia'; 19, 3 'succlamatus omnium maledictis; his locis verbi 'succlamare', quod plerumque vim intransitivam habet, passivum personale formatur.

trösten vel so wirst du dadurch getröstet werden, dass ...; 'hoc consolabere', ita tradit codex Mediceus; 'consolari' igitur vi passiva [vel reflexiva] praeditum; emendatores [1]) autem 'te' addunt corriguntque Baiter ex Manesii coniectura 'hoc te consolabere'; Wesenberg 'hoc consolabere te'. — Cicero verbo 'consolari', si reflexive adhibet, semper pronomen adicit neque tamen emendatores recte fecisse mihi videntur; nam notissimum est haud ita pauca verba, quae in eleganti atque perpolita oratione deponentia sunt, apud priscos scriptores et apud eos vel optimae aetatis scriptores, qui in sermone cottidiano versantur, formam activam prae se ferre aut quidem vim passivam tenere; cfr. Burg l. l. p. 13 ad 'morari'; Schmalz 'Asin. Poll.' p. 13 ad 'consolari'; Rebling l. l. p. 36 ad 'hortari, hortare'; Stuenkel 'de Varroniana verborum formatione' Strassbg. 1875 p. 9; Eberhard, 'de Vitruvii genere dicendi' Prgr. Phorzheim 1887 p. 5; Kaulen 'Geschichte d. Vulgata' Mainz, Kirch. 1868 p. 134. Multa eiusmodi exempla apud Draeger, 'Hist. Synt.' I p. 150; 156 conscripta inveniuntur. Quae cum ita sint, Brutum, qui sermoni cottidiano multum concedit, scripsisse arbitror: 'hoc consolabere', 'te' pronomine non addito; praesertim cum in usu vitae cottidianae forma activa 'consolare' apud Varronem Sat. Menipp. [ed. Riese] p. 178 'Per idem tempus Oedipus Athenas exul uenire dicebatur, qui consolaret', exstet neque ita raro 'consolari' [2]) = sich trösten vel getröstet werden apud eos, qui Bruti aetate scripserunt, inveniatur; cfr. C. Asin. Poll. apud Priscianum VIII p. 792 'consolabor ob ea, quae timui'; Qu. Metell. apud Gellium N. Att. XV 13, 6 'At cum animum inquit, vestrum erga me video, vehementer consolor et ...'; Pomp. Trog. apud Iustinum 22, 6,

1) cf. Wesenberg, 'Emendationes alterae sive annotationes criticae ad Ciceronis epistularum editionem' Lips. 1873 p. 38.

2) Fortasse huc spectat illud Plautinum Mil. I 1, 5:
'nam ego hanc machaeram mihi consolari volo'.

4, 'consolatis militibus', cfr. Seck. Ir. 'de Pompei Trogi sermone' Prgr. Constanz 1881. 82, I p. 19. — Quem dicendi usum ad tempora extrema linguae Latinae esse servatum docent Vulg. Gen. 37, 35 conf. Aug. 6, 1. — Mea igitur sententia non est, cur cum Baiter, Wesenberg 'te consolabere' legamus.

pereum, si: XI 23, 2 'si frenum momorderis, peream, si te omnes ... ferre poterunt', wenn du ihnen die Zähne weisest, so will ich des Todes sein, wenn ... — Haec iurandi formula, quam Burg l. l. p. 34 notissimam sermonis vulgaris dicit, iam apud comicos reperitur, velut ap. Plaut. Most. V 1, 57; ap. Ter. Adelp. I 2, 54; deinde ap. Varr. d. R. R. [ed. Keil] III 3, 9. A Ciceronis sermone recedere videtur, nescio an is eam ut vulgarem aspernatus sit; ex eius epistulis mihi sunt notae formulae iurandi hae: 'moriar' ad Att. V 20, 6; VIII 6, 3; ad fam. VII 13, 1; IX 15, 2; 'ne vivam' ad Att. IV [16, 8] 17, 5; 'ne sim salvus' ad Att. XVI 13 A. 1; cfr. Draeger 'Hist. Synt.' II p. 705. — Ne ceterorum quidem, qui tum fuerunt, scriptorum usui illud 'peream si' convenisse mihi videtur; nam praeter Brutum legimus hanc formulam apud solos Caelium ad fam. VIII 15, 2, apud Plancum XV 19, 4, qui et ipsi multa e sermone cottidiano hauserunt. Postea 'peream, si' percrebrescit apud poetas, velut ap. Horat. sat. II 1, 6; ap. Ovid. Heroid. 17, 183; ep. ex Pont. III 5, 45; aliis locis.

pertimefactus: XI 20, 2 'crede mihi, iactatione verborum et denuntiatione periculi sperare eos, te pertimefacto, adulescente impulso posse magna consequi praemia', glaube mir, die Leute hoffen, durch ihre Grosssprecherei und durch Androhung von Gefahr könnten sie, wenn du dich einschüchtern und der junge Mann sich aufreizen lasse, grosse Belohnungen davontragen.

Hoc rarissimum verbum 'pertimefactus', cuius infinitivus 'pertimefacere' nusquam traditur, apud scriptores Latinos

duo tantum exempla habet, quorum quidem alterum ex aetate priore apud Pacuvium legitur 302 frgm. Ribb. I: 'triplici pertimefactus maerore animi incerte errans vagat' [Non. 467, 33], alterum ex aetate classica quae appellatur est hoc quem attuli loco. Quamquam praeter verbum 'pertimefactus' ne una quidem alia forma exhibetur, tamen cum Obricatis[1]) p. 48, Opitz l. l. p. 19, Schmalz 'Antibarb.' II p. 264 verbum 'pertimefacere' exstitisse existimo. Sane quidem arbitror hoc verbum nisi vi passiva praeditum in usu non fuisse, cum notio activa verbis 'terrere vel perterrere' exprimeretur, deinde etiam illud passivum verbo recenti incohativo 'pertimescere', cuius iam apud scriptores priores [Plaut. Bach. IV 8, 21; Curc. V 2, 48; Pseud. V 2, 3; Afran. 393 frgm. Ribb. II] multa exempla leguntur, sublatum esse. Similiter verbum 'perterrefacere', quod apud Terentium Andr. I 1, 142 'perterrefacias Davom' uno loco reperitur ibique quasi gradum quendam altiorem terroris continet, ex sermone scriptorum evanuit revixitque apud Ammianum Marcellinum. Verisimile est verba et 'pertimefacere' et 'perterrefacere', quae apud solos scriptores priores inveniuntur, in ore vulgi usque ad extrema linguae Latinae tempora viguisse. Itaque fieri potuit, ut Brutus, cui elegantia sermonis curae non erat, verbum 'pertimefactus' ex usu vitae cottidianae desumeret et Ammianus Marcellinus, quem mos dictionis urbanae prorsus defecit, verbum 'perterrefactus' iteraret: XVII 1, 17; XXVIII 1, 48; XXX 1, 7. — Cicero posterioribus in libris voces cum verbo, quod est facere, compositas ut plebeias vitavit praeter 'commonefacere' et 'expergefacere'; de hac re cfr. Thielmann 'Stilist. Bemerkungen zu den Jugendwerken Ciceros' Bl. f. d. bayr. Gymn. w. 1880 p. 357. Ciceronem autem eum dicendi usum postea non prorsus repudiasse ex

---

1) Obricatis, 'De per praepos. Latin. et cum casu coniunctae et cum verbis nominibusque compositae usu etc.' Regimont. 1884 p. 48.

eo apparet, quod praeter ceteros inveniuntur loci, quibus eiusmodi formae exstant, velut 'assuefactus' Brut. 59, 213 ['suspicor Curionis ... patris fuisse instituto puro sermone assuefactam domum']; ,timefactus' de off. II 7, 24 ['quamvis enim sint demersae leges alicuius opibus, quamvis timefacta libertas' ...], quo loco Cicero verbum magni ponderis nescio an quaesiverit. 'Timefactus' perinde atque 'pertimefactus' ex sermone cottidiano effluxit; illam formam praeter Ciceronem exhibet Lucretius uno loco 2, 44; cfr. Deecke, 'Facere' und 'fieri' in ihrer Composition mit andern 'Verbis', Prgr. Lyc. Strassbg. 1873 p. 17.

III.

De vocabulis locutionibusque, quae apud Brutum et apud scriptores aequales, non apud Ciceronem exstant.

decursio: XI 10, 4 'ut ... aut Apennino Alpibusque se teneat[1]) et decursionibus per equites, quos habet multos, vastet ea loca', oder sich in den Apenninen und Alpen zu halten und von da durch Herabstürmen [Einfälle] seiner zahlreichen Reiterei diese Gegend zu verwüsten. 'Decursio', quod nomen apud Ciceronem nusquam invenimus, et hoc loco Bruti et apud A. Hirtium d. b. G. VIII 24, 3 [ne quod simile incommodum accideret decursione barbarorum] et apud auctorem b. Alex. 42 ['Namque et castella complura, locis editis posita, quorum opportunitas castellanos impellebat ad decursiones faciendas] motum militarem = Einfall von der Höhe in die Ebene significat eoque termino militari Hirtius primus utitur, cum haec epistula decima, qua 'decursio' apud Brutum exhibetur, post Hirtium apud Mutinam

---

1) 'se tenere' est usitatissimus terminus militaris; cfr. Caes. d. b. G. 1, 40; 49; 3, 17; 24; 5, 57; 8, 11; d. b. c. 1, 69; 3, 30; 3, 94; 109; auct. b. Alex. 63.

[a. d. V Kal. Maias] occisum a. d. III Nonas Maias scripta sit [1]). Ab usu dicendi scriptorum ceterorum, qui aetate optima scripserunt, hoc verbum abhorret. Postea apud Suetonium, Fl. Vegetium, Arnobium exstat.

b) de adverbio 'ordinatim'.

ordinatim: XI 13a, 2 '[Antonius] ille enim iit passim, ego ordinatim'; denn er marschirte aufgelöst, ich geschlossen ut hos terminos militares vocibus nostri sermonis militaris reddam. Multo rarius quam 'passim', quod iam apud priores scriptores cum in usu vario tum in usu militari exstat, legitur 'ordinatim'; cuius adverbii ante Caesaris tempora exemplum non invenitur. Adverbii 'ordinatim' locum apud scriptores priores nescio an obtinuerit 'pilatim', quod Servius ad Vergili Aen. 12, 121 [ed. Georg. Thilo] affert ex Sempronio Asellione hist.: 'triarium quartum signum accedebat, sive pilatim, sive passim iter facere volebat' et ex Aemilio Scauro de vita sua: 'in agrum hostium veni, pilatim exercitum duxi', quod Servius verbis additis explicat: 'id est strictim et dense'. Caesar primus 'ordinatim' adverbium exhibet: d. b. c. 2, 10 'ita fastigato atque ordinatim structo [musculo]'; deinde auctor b. Afr. 12, 2 'atque ordinatim signa se leviter consequi'. Utroque loco est terminus sermonis militaris; in eodem dicendi usu et eadem vi, qua b. Afr. 12, 2, praeditum = geschlossen, geordnet hoc loco Bruti obviam fit, qui imperator vocibus ex consuetudine militari haustis libenter utitur. Translatum ad res publicas adverbium 'ordinatim' legimus apud Sulpicium ad fam. IV 5, 3 'honores ordinatim petituri essent' = der Reihe nach Ehrenstellen erwerben. Sulpicius Bruto excepto solus ex iis, qui ad Ciceronem litteras dederunt, 'ordinatim' adverbium exhibet. Quo ex loco Sulpiciano apparere mihi videtur 'ordinatim'

---

1) cfr. L. Gurlitt 'Briefwechsel zw. Cicero und D. Brutus'. N. Jahrbb. f. Phil. und Pädag. Leipz. 1880 p. 612; 621.

vocabulum ex militari sermone in cottidianum influxisse, cum usus urbanus ad idem exprimendum 'gradatim'[1]) adverbium adhibeat. Ceterum Koehler, 'De auct. belli Afr. ut belli Hisp. latinitate', act. Semin. Erlang. 1878 I p. 380, Landgraf Bl. f. d. bayr. Gymn. w. p. 320, Schmalz ZS. f. d. Gymn. w. p. 112 'ordinatim' adverbium inter verba cottidiana referunt. Usus autem eruditus hoc vocabulum vitat circumscribitque modis his: aut per locutiones, velut 'ordinem conservare' Cic. pr. Rosc. Com. 2, 6; 'ordinem servare' Caes. d. b. G. 4, 26; d. b. c. 1, 41; 'ordinem tenere' Phil. V 13, 35; aut per praepositiones iuxta 'ordo' nomen positas, velut 'ex ordine' d. leg. agr. I 2, 4; 'in ordinem' pr. Rosc. Am. 2, 7; aut per ablativum solum 'ordine', velut pr. Quinct. 7, 28; d. part. orat. dial. 1, 1. Cuiusmodi autem circumscriptiones praeter 'ordinatim' formam etiam in sermone militari exstant, ut apud Caesarem b. c. 2, 38; 3, 92; 3, 101. Quare colligere possumus 'ordinatim' adverbium solis eis locis expositionis militaris adhibitum esse, quibus aut circumscriptiones nimis latae erant, cfr. b. c. 2, 16; b. Afr. 12 aut concinnitas dicendi quaedam, ut hoc loco Brutino cum 'passim' adverbio, formam 'ordinatim' postulabat. 'Ordinate' adverbium exstat apud auctorem ad Herennium 4, 69 — qui locus a multis corruptus habetur —, apud Vitruvium IX 5, 3; postea e sermone removetur. 'Ordinatim' quoque adverbio tempora sequentia carebant usque ad Ammianum Marcellinum, qui formas 'ordinatim' XXIV 1, 4, 'inordinatim' XIX 7, 3 renovat.

c) de verbis:

iniungere: XI 13a, 4 'ne quod detrimentum reipublicae iniungant'; 'detrimentum reipublicae iniungere' =

---

1) Velut ap. Cic. ad Quir. 2, 5 'honores, quos eramus gradatim singulos assecuti'; part. orat. 15, 54 'quae ascendunt gradatim ab humilioribus verbis ad superiora'; d. or. 61, 227; Tuscul. I 24, 57.

dem Staate Schaden zufügen unicum diversumque esse ab usu ceterorum scriptorum videtur. 'Iniungere' etiam verbum optimi scriptores ad locutiones formandas raro adhibent; cognovi tantummodo exempla haec: Caes. d. b. G. 7, 77 'servitutem iniungere'; b. c. 2, 18 'onus iniungere'; ibid. 1, 4 'inimicos iniungere'; Hirt. d. b. G. 8, 6; 49 'onus iniungere'; auctor b. Alex. 'sibi moram iniungere'. Apud Ciceronem et apud scriptores, qui ante Caesarem floruerunt, hoc verbum nusquam exstat. Unde conicere mihi liceat verbum 'iniungere' demum hac aetate a sermone cottidiano pro sua translate dicendi consuetudine esse receptum et inde in Caesaris, Hirtii, aliorum usum irrepsisse, sed Ciceronem id a scriptis ut vulgare exclusisse. Aetatibus posterioribus 'iniungere' percrebrescit apud Livium, Plinium [ep.], alios.

se traicere: XI 13a, 4 'si quo etiam casu Isacam se traiecerint'; 9, 2 'si se Alpes Antonius traiecerit'; 'se traicere = traicere'; huius usus Cicero ipse ne unum quidem exemplum praebet, sed ex aequalibus praeter Brutum eodem modo exhibet Asinius Pollio ad fam. X 32, 1 'Balbus — traiecit sese in regnum Bogudis'; cfr. Schmalz 'As. Poll.' p. 47 s.; item tradit Caesar d. b. c. III 112, 9 'ad Achillam se ex regia traiecit'. Temporibus posterioribus hic dicendi usus occurrit apud Livium XXVIII 18, 10 'ducem Romanum ... in Africam traiecisse sese in hostilem terram'; cfr. Kuehnast 'Livian. Synt.' p. 263; apud Valerium Maximum IX 8, 1 'se ad Syphacem traiecit'. Ad nonnulla verba, quae motum quendam exprimunt et cum accusativo obiecti coniungi solent, obiecto deficiente pronomen reflexivum saepe apponitur. Qui dicendi usus in primis eorum scriptorum, qui non longe a sermone cottidiano discedunt, est proprius, neque tamen a bonis scriptoribus [Caesar] omnino repudiatur. Similis usus nescio an exemplum sit illud 'se ducere' = 'ire', quod Asinius Pollio exhibet, ad fam. X 32, 1 ,ne

stipendio quidem militibus reddito duxit se a Gadibus'; cfr. Schmalz l. l. p. 47.

IV.

De Bruti vocabulis locutionibusque, quae apud Ciceronem paucis locis leguntur.

a) de nominibus:

cantilena: XI 20, 2 'et totam istam cantilenam ex hoc pendere', und dass sich das ganze alte Lied nur darum drehe. Hoc quoque 'tota ista cantilena ex hoc pendet' est ex usu vitae cottidianae dictum: ut in nostra lingua ad aliquid contritissimum significandum vocibus usitatissimis 'alte Lied, Leier' utimur, ita [exprimendum ad idem] in lingua Latina sermo cottidianus interdum nomen 'cantilena' adhibet: Ter. Phorm. III 2, 10 'cantilenam eandem canis' neque Cicero hoc vocabulum ex usu vitae cottidianae haurire repudiat: ad Att. I 19, 8 'ut crebro mihi vafer ille Siculus insusurret cantilenam illam suam'; d. or. I 23, 105 'neque ex scholis cantilenam requirunt'. — Qua ex notione 'cantilena' saepe non longe discedit a nomine 'fabula', quod quoque in sermone cottidiano usitatum est; velut Cic. ad Att. 13, 34; Senec. ep. 24, 6. Cfr. de nomine 'cantilena' Otto l. l. p. 73; de nomine 'fabula' Otto l. l. p. 106; Burg p. 46. — Aliam, sed pervulgatissimam vim scriptores posteriores verbo, quod est cantilena, attribunt, cum hoc nomine cantum notissimum significant, velut Gell. IX 4, 14; XIX 9, 8; Ambros. d. off. I, 24, 114; conf. Aug. 10, 33. Porro huc spectat Apulei. flor. 12 'denuo repetit candem cantilenam', quo loco 'cantilena' ridiculam vim [Papageisingsang] habet.

conspiratio: XI 13a, 5 'ut quam paratissimi et ab exercitu reliquisque rebus pro vestra salute contra sceleratissimam conspirationem hostium confligamus', damit wir, hinsichtlich des Heeres und aller übrigen Erfordernisse gut

ausgerüstet, uns für eure Wohlfahrt gegen einen so heillosen Bund von Feinden schlagen können. — Ab scribendi usu priorum scriptorum 'conspiratio' prorsus recedit; apud Ciceronem prima exempla inveniuntur; apud eum sicut verbum 'conspirare', ita nomen 'conspiratio' semper bona vi praeditum exstat; id, quod Schmalz 'Vatin.' p. 41, 'Antibarb.' I p. 310 ex annotationibus a Zumpt [ad Cic. d. leg. agr. p. 22] et ab Hofmann-Andresen [ad Cic. fam. 10, 12 p. 164] factis dixit. Tamen hic vir doctus mihi videtur haud novisse pr. Scauro 10, 20 'non agam igitur cum ista Sardorum conspiratione et cum expresso et coacto sollicitatoque periurio subtiliter neque acu quaedam enucleata argumenta conquiram'; pr. Deiotaro[1]) 4, 11 'nihil de conspiratione audiebat certorum hominum contra dignitatem tuam'; quibus locis Cicero sine dubio nomini 'conspiratio' vim malam imponere vult. Paullo ante orationem pro Deiotaro habitam praebet eundem usum Vatinius fam. V 9, 1 'an verear ne, qui potentissimorum hominum conspirationem neglexerit pro mea salute, ...' et paullo post Brutus loco, quem supra attuli. Inde ab hoc tempore 'conspiratio' = 'Complott', 'Meuterei' saepius occurrit, velut apud Val. Maximum IV 7, 2; Tacit. ann. 3, 16, cfr. Weinkauf, 'De Tacito dialogi, qui de oratoribus inscribitur, auctore' Coeln 1880, p. 151; ap. Sueton. cfr. Bagge l. l. p. 14; ap. Quintil.

c) de adverbiis:

istic: XI 11, 2 'tu, quae istic opus erunt administrari, prospicies', du wirst das ins Auge fassen, was dort zu besorgen nöthig ist. Et pronomen 'istic' ipsum et [ab eo] adverbia derivata: 'istinc, istoc, istuc, vigent apud comicos, in primis autem adverbii forma 'istic'; ex permagno numero

---

1) Ad hunc locum cfr. Philol. Anz. 1883 p. 761 [Schirmer recens. Schmalz, 'Vatinius'].

nonnulla [1]) exempla afferam: Plaut. Amph. II 2, 115; Cist. IV 2, 87; Most. III 1, 71; Rud. II 7, 14; III 2, 36; IV 4, 38; Terent. Andr. II 5, 9; V 2, 8; Heaut. III 2, 46. Scriptores autem optimi hoc vocabulum sermonis cottidiani aut omnino non aut raro recipiunt, ut Koehler l. l. p. 414 exposuit. Cicero exempla pauca praebet, d. fin. V 26, 78; ad Att. III 12, 3; ad fam. 1, 10; aliis paucis locis. Quin etiam is adverbia huiusmodi superflua vitat; nam Sulpicius ad eum scribit ad fam. IV 5, 1 'si istic affuissem' respondet Cicero IV, 6, 1 'ego vellem, affuisses'. Ex aequalibus, qui ad Ciceronem epistulas dederunt, ii, qui sermoni cottidiano aliquid concedunt, hoc adverbio satis saepe utuntur; ita Caelius in deliciis habere videtur; nam exhibet quater: ad fam. VIII 7, 1; 10, 2; 3; 17, 2; formas quoque 'istuc, istoc, istinc' is suppeditat, cfr. Burg l. l. p. 50; Vatinius ad fam. V 10a, 3 'si quid erit istic opus'. Cuiusmodi alia exempla Koehler l. l. p. 414 conscripsit; inspiciendi quoque sunt: Ebrard act. Semin. Erlang. II p. 327, Schmalz, 'Vatin.' p. 42; Thielmann Bl. f. d. bayr. Gymn. w. p. 212.

lente: XI 20, 3 'de nummis lente ac ratione habita pecuniae senatum de ea re constituturum', was nun das Geld betrifft, so würde über diesen Punkt mit Bedacht [sachte] und unter Berücksichtigung der vorhandnen Baarmittel der Senat beschliessen'. Qua in significatione adverbii 'lente', quod omnino apud Ciceronem haud saepe legimus, exemplum unum eadem fere vi praeditum mihi in memoriam incidit: ad Att. II, 1, 1 'quem tibi ego non essem ausus mittere, nisi eum lente ac fastidiose probavissem' = bedächtig und wählerisch geb. h. Eandem autem vim obtinet illud 'festina lente' vel graece 'σπεῦδε βραδέως', quod Augusto saepe in ore erat, cfr. Suet. Aug. 25. Omnino 'lente',

---

1) Multa eiusmodi exempla e comicis conscripsit O. Ribbeck, 'Beiträge zur Lehre v. d. latein. Partikeln' Leipz. 1869 p. 30.

etsi non semper eadem, quae his locis, vis inest, in vocibus hominum viguisse mihi videtur, ut iam legitur apud Afranium 38 frgm. Ribb. II 'Hem lentus lente quae rogabo ...'; ibid. 87 'Quam lente tractat me atque inludit'. — De usu proverbiali adiectivi 'lentus' cfr. Otto l. l. p. 111 (deus, 11].

quemadmodum: XI 10, 4 'haec quemadmodum explicari possint'; ibid. 26 'nisi ista omnia ita fiunt, quemadmodum scribo'. — Sermo cottidianus saepe pro adverbio simplici 'ut' pleniore forma 'quemadmodum' uti assolet; quod ex permultis exemplis, quae apud Plautum legimus, apparet, velut Bach. III 3, 69; Mil. II 2, 46; Pers. I 1, 36; Trin. II 1, 10. Etiam Cicero primis scribendi annis ab hoc sermone non recedit; nam in orationibus creberrime occurrit, velut pr. Quinct. 8, 31; 26, 80; pr. Rosc. Am. 8, 21; 29, 81; 32, 91; in Cat. III 1, 3. Verisimile est Ciceronem his locis 'ut' adverbium vitare, quod nimis variam vim habeat, ut Woelfflin 'Philolog. Anzeig.' 1879 p. 53 dicit. In posterioribus autem orationibus et in libris Cicero hunc dicendi morem rarius sequi videtur, cfr. Hellmuth, 'Prior. Cic. orat.' p. 161; Landgraf in recensione libelli Thielmanni, 'De serm. proprietatibus, quae leguntur ap. Cornif. et in primis Cicer. libris', Strassbg. 1879', ZS. f. d. Gymn. w. 33 p. 596. At in epistulis exstat forma plenior creberrime, cfr. Hellmuth 'Balbus' p. 51; in primisque legimus in iis epistulis, quae neglegentiam quandam scribendi ostendunt: plerumque sunt hae epistulae ad familiarissimos datae, velut ad Att. I 17, 4; ad Qu. fr. II 12, 3; ad fam. III 9, 4; XIV 2, 2. Aequales idem genus dicendi cottidianum, quod Cicero, cum scribere coepit, secuti haud ita raro formam 'quemadmodum' pro 'ut' ponunt, velut Ser. Sulpicius, quippe qui abundantia verborum quadam utatur, cfr. Schmalz ZS. f. d. Gymn. w. p. 116 s., Landgraf pr. Rosc. Am. Erlang. 1882 p. 137 s. — De locutione 'quemadmodum — ita', quod apud Brutum ad fam. XI 26' legimus, cfr. Hellmuth 'Pr. Cic. or.' p. 161, Reisig

l. l. III § 242 med., ann. Haas. 415e; c. — Ad locutiones late dictas spectat 'idcirco, quod', ap. Brut. ad fam. XI 9, 2; cfr. Hellmuth l. l. p. 138.

sanequam: XI 13a, 4 'sanequam sum gavisus'. — 'Sane quam' adverbium ex sermone cottidiano haustum esse apparet ex eo, quod ad illud 'valde quam' p. 11 notavi. Apud scriptores priores 'sane quam' non invenitur, sed similia creberrime obviam fiunt, cfr. ibid. Cicero hac particula bis utitur: ad Qu. fr. II 4, 5 'quod de Pompeio Caninius agit, sane quam refrixit', de leg. II 10, 23 'sane quam brevi' quin etiam is locutionem 'sane quam' repudiat, cum pr. Planc. 34, 83 'saneque in eo creber fuisti' scribit, quamvis 'sanequam' hic locum aptum obtineret, cfr. Schmalz, ZS. f. d. Gymn. w. p. 110. Ex aequalibus prae ceteris Caelius Rufus orator hanc satis raram particulam exhibere amat; nam quinquies apud eum legimus: ad fam. VIII 1, 2; 4, 2; 6, 1; 10, 1; 14, 1, cfr. Burg l. l. p. 59. Praeterea in epistulis Ser. Sulpici semel exstat: ad fam. IV 5, 1 [sane quam graviter tuli]. Postea invenimus apud Gellium V 14, 3; X, 24, 8; XVII 2, 1. — Cfr. praeter eos libellos, quos p. 11 ad 'valde quam' particulam attuli, hos: Landgraf Bl. f. d. bayr. Gymn. w. p. 277 s., quo loco is ei, quod Opitz l. l. p. 18 dicit, adversatur; Woelfflin, arch. lexicogr. I p. 99 [zur latein. Gradation].

d) de verbis quibusdam, locutionibus, constructionibus.

accipere: XI 13a, 2 'copiolae inopia omnium rerum pessime acceptae' = übel zugerichtet, hart mitgenommen, [schlecht angekommen]. Hoc est sermonis cottidiani proprium; nam similes locutiones iam exstant apud comicos, velut ap. Plaut. Cist. I 1, 17 'ita hodie hic acceptae sumus suavibus modis'; Men. V 1, 7 'Adibo atque hominem accipiam quibus dictis meret'; cfr. Brix ad hunc locum. Woelfflin, 'Latinitaet d. Asin. Pollio' arch. lexicogr. VI p. 93 hanc locutionem sermonis prisci et vulgaris fuisse dicit. Mea qui-

dem sententia' 'pessime accipere' in illum ex sermone castrorum influxit; nam invenimus illud pro termino technico huius sermonis = 'conficere' apud Brutum hoc loco, quem protuli, apud Lentulum ad. fam. XII 14, 4 'in oppugnando male acceptus'; apud Nepotem Eum. 8, 1 'Antigonum male acceptum in Mediam hiematum coegit redire'; aliis locis. — Etiam Cicero in iis libris, in quibus ad familiarem loquendi consuetudinem descendit, hac locutione utitur, velut in Verr. I 54, 140; II 23, 56; III 24, 59: ad fam. VII 26, 1.

committere: XI 20, 1 'se non esse commissurum, ut tolli posset' er würde es nicht dahin kommen lassen, dass ihm fortgeholfen würde [er aus dem Wege geräumt würde]. Qui verbi 'committere' usus apud Ciceronem haud ita raro obviam fit, cfr. Draeger, 'Hist. Synt.'. II p. 251. — Sequenti in paragrapho Brutus verbo eodem utitur, ut exprimat 'verschulden' vel 'Fehler machen', XI 20, 2: 'committendum nondum putavi, prius ut Alpes transgrederer, quam, quid istic ageretur, scirem', ich glaubte den Fehler nicht begehen zu dürfen, die Alpen früher zu überschreiten, als bis ich die Vorgänge bei euch in Erfahrung gebracht hätte. Sermo cottidianus quidem — ut iam p. 12; 14 notavimus — amat paullo post verbum idem alia atque ante vi praeditum iterare. — Hoc, quem 20, 2 cognoscimus, usu verbi 'committere Brutus significat, quid momenti atque ponderis in transgressu Alpium collocet. Similiter ut actioni structurae dependentis maiorem gravitatem imponat, Caesar eadem locutione utitur: d. b. G. I 46 'tamen committendum non putabat, ut pulsis hostibus dici posset'. Eodem modo Cicero quoque hoc verbum adhibet, velut ad fam. III 9, 3, d. off. II 14, 50, crebrius autem ad idem exprimendum verbum 'facere' usurpat, velut ad fam. I 7, 1; III 8, 1; in Cat. III 3, 7; d. sen. 12, 42.

conferre: XI 13a, 4 'meumque iter eo contuli', und ich richtete meinen Marsch dahin. Quem verbi 'conferre' usum e sermone vitae cottidianae desumptum esse apparet

ex inventis apud tragicos et comicos exemplis his: Pacuv. 121 frgm. Ribb. I 'Delfos unum pecus egi, inde ad stabula haec itiner contuli'; similiter legimus apud Plautum Pseud. II 4, 17 'confer gradum contra pariter', apud Afranium 372 frgm. Ribb. II 'homo mulierosus confert me ilico alio'. Eiusdem modi atque apud Brutum etiam apud Ciceronem unum exemplum legimus: ad Att. III 4 'statim iter Brundisium versus contuli'.

deterrere: XI 11, 2 'quod me de statu meo nullis contumeliis deterrere possunt', dass man mich durch keine Art Verunglimpfung aus meiner Stellung zu verdrängen [verscheuchen] vermag. Hoc quoque 'deterrere de aliqua re' originem e sermone cottidiano ducit; cfr. Plaut. Trin. II 4, 159 'de agro ego hunc senem deterrui', ich habe diesen Greis vom Acker verscheucht. Cicero unum eiusmodi exemplum exhibet: de divin. II 39, 81 'Stoici de sententia deterrentur', die Stoiker werden von ihrer Ansicht abgebracht. Saepius occurrit 'deterrere ab aliqua re'. Tamen aliquid differt inter 'deterrere de' et 'deterrere a': illud exprimit aliquem repelli removeri ab aliqua re, quam possedit; hoc significat aliquem arceri ab aliqua re, in quam invadere instituit. — 'Deterrere aliqua re' exstat velut apud Sallust. Iug. 98, 5 [det. proelio]; apud Horat. d. ar. poet. 392 [caedibus et victu foedo det.].

interpellare, quominus: XI 10, 1 interpellent me, quominus honoratus sim, dum ne interpellent, quominus res publica a me commode administrari possit', mögen sie meinethalb gegen Ehrenbezeugungen für mich Einsprache erheben, wenn sie es nur nicht dagegen thun, dass ich in der Verwaltung der Republik gute Dienste zu leisten vermöge. De significatione 'Einsprache erheben, verhindern', quam vim verbum 'interpellare' his locis obtinet, tantum mihi adnotandum est hanc notionem ab usu priorum scriptorum, apud quos hoc verbum omnino satis raro reperitur,

abhorrere. Haec ergo vis in verbum 'interpellare' demum aetate Ciceroniana influxisse videtur. Apud Ciceronem unum exemplum huius verbi, a quo structura per coniunctionem facta dependeat, exstat: Verr. IV 64, 142 'in quo primum, ut aliquid esset morae, multi interpellant'. Sermo cottidianus autem eo processit, ut verbum 'interpellare' cum verbis 'impedire' aequaret eique coniunctionem 'quominus' subiungeret. Cuius aequationis simile exemplum in sententia negativa legimus apud Matium, qui eodem fere tempore litteras ad Ciceronem dedit, ad fam. XI 28, 7 'quod Caesar numquam interpellavit, quin ...' [1]; Livius exhibet IV 43, 8 'tribunis interregem interpellantibus, ne senatus consultum fieret'; Valerius Maximus VIII 7, 4 'neutra [neque senectus neque fortuna] Livium Drusum interpellare valuit, ne non animo et videret et vigeret'.

o r a r e: ex verbo 'orare' apud Brutum constructiones duae dependent hae: XI 13a, 3 'orare coeperunt, ut ...'; 9, 2 'Plancum quoque confirmetis oro'.

I l l a constructio est et in cottidiano et in urbano sermone usitatissima; praeterea autem in usu vitae cottidianae, etsi haud ita multis locis, h a e c obviam fit, ut apud Plautum Amph. I 1, 101 'velatis manibus orant, ignoscamus peccatum suum'; apud Afranium 84 frgm. Ribb. II 'principio hoc oro, in animo sic statuas tuo'. Quem dicendi usum in sermonem cottidianum aetatis Ciceronianae quoque, quae appellatur, irrepsisse, docet praeter hunc, quem protuli, locum Bruti exemplum Ciceronianum hoc: ad Att. III, 1 'quamobrem te oro des operam'. Postea hic usus in primis a poetis usurpatur, ut a Vergil. Aen. 5, 796; Ovid. ep. ex Pont. IV 1, 19, aliis locis; sed etiam scriptores posteriores eum non prorsus reiciunt, velut Plin. ep. VI 20, 12; Tacit. ann. 3, 16.

---

1) Ad hunc locum cfr. Schmalz 'Matius', Commentat. Woelfflin. Lips. 1891 p. 274.

placitum est: XI 1, 2 'placitum est mihi [1]) ut postularem; 1, 6 placitum est mihi postulare. Pro forma 'placuit', quae tum usitatior fuit, sermo cottidianus aliquot locis supponit 'placitum est' [cfr. Schmalz ad Sallust. Iug. 80, 7]; ita occurrit iam apud comicos: Plaut. Amph. prol. 106 'si ei quid conplacitumst semel'; ibid. II 2, 5 'Ita dis est complacitum, ut ...'; Rud. I 3, 3 'Hoc deo conplacitumst, me ...'; Terent. Andr. IV 1, 21 'Postquam me amare dixi, complacitast tibi'; Hecyr. prol. 2, 12 'placitae sunt' [fabulae]; ibid. II 1, 44 'placita est condicio' [cfr. didascal. ad Hecyr. 'non placita est' sc. fabula]. Quem dicendi usum etiam optimae aetatis scriptores secuti sunt, velut auct. ad Her. I 1, 1 'ita nobis placitum est, ut ea ... potissimum conscriberemus'; ibid. 13, 19 'ea saepe diversa sunt, ut aliud alii iudici ... placitum sit'; Cicero Verr. IV 1, 1 'quod placitum sit, abstulerit'; d. rep. I 12, 18 'placitum est ut ..'; exstat igitur apud eum in una ex orationibus prioribus et in eo scripto, quod plurimas similitudines antiqui generis dicendi ostendit; cfr. Hellmuth, 'De serm. propr. in prior. orat.' p. 120. Postea Cicero hunc usum prorsus repudiat. Ex aequalibus in primis scriptores, qui non longe a sermone cottidiano discedunt, hanc formam exhibent: Pompeius ad Att. VIII 12, A 4 'quamobrem placitum est mihi, ut Brundisium ducerem hanc copiam'; Caelius ad fam. VIII 4, 4 'placitum est, ut ad urbem reverteretur Cn. Pompeius'; Brutus duobus illis, quos supra attuli, locis.

'Placitum est ut' apud Plautum Amph. II 2, 5 primum legitur; deinde apud auct. ad Her. II 1, 1; ap. Cic. d. rep. I 12, 18; ap. Pompei. ad Att. VIII 12, A. 4; ap. Cael. VIII 4, 4; ap. Brut. ad fam. XI, 1, 2. Qui usus vitae cottidianae etiam in 'placet' formam se transtulit, ut haud ita

---

1) Alios locos, quibus hanc raram pronominis postpositionem invenimus, congessit Hellmuth 'Galba' p. 25,

paucis locis scriptorum optimorum 'placet, ut, constructionem legamus, ut apud Cic. Phil. XIV, 14, 38; d. or. I 34, 155; ad fam. I 2, 1; I 7, 6; ap. Caes. d. b. G. 1, 34; ap. Liv. X 21, 7, ceteris omnibus locis Livius semper accusativum cum infinitivo tradit. Ante Ciceronem 'placet, ut' frustra quaeritur. Praeter constructionem 'placitum est, ut' in sermone cottidiano 'placitum est c. acc. c. inf.' — cfr. Plaut. Rud. I 3, 3 — interdum exstat, quem usum Brutus ad fam. XI 1, 6 'placitum est mihi postulare' nescio an secutus sit, cfr. Draeger 'Hist. Synt.' II p. 352. Praeterea sunt de 'placitum est' locutione inspiciendi: Hellmuth l. l. p. 119 sq., Schmalz ZS. f. d. Gymn. w. p. 97 ad 'licitum est'; Becher l. l. p. 17; Burg l. l. p. 14; Kuehner II p. 72. — 'Placitum est' in sermone cottidiano usque ad extrema linguae Latinae tempora viget; cfr. Roensch 'Itala u. Vulgata' p. 142, 144.

praestare[1]: XI 9, 1 'utrumque me praestaturum spero, ne aut Ventidius elabatur aut Antonius in Italia moretur', beides hoffe ich garantieren zu können, dass weder Ventidius entschlüpft noch Antonius in Italien bleibt. Hanc notionem Cicero verbo 'praestare' omnium primus imposuit — fortasse autem iam apud Nouium 20 frgm. Ribb. II 'puerum mulieri praestare nemo scit' est ita interpretandum — exhibuitque creberrima huius usus exempla, velut pr. leg. Man. 18, 55; d. imp. Cn. Pomp. 16, 47; 18, 55; 24, 70; pr. Flacc. 13, 31. 'Praestare, ne'; iure Burg l. l. p. 31 contendit hanc constructionem a Ciceronis usu alienam esse; notandum tamen mihi videtur 'praestare' ne' illud quidem apud Ciceronem nusquam, sed uno loco[2]) 'praestare, ut' structuram exstare: d. or. I 10, 44 'satis id est magnum, quod potes praestare, ut in iudiciis ea causa, quamcumque tu

1) cfr. H. Kothe, 'Ueber d. Ableitung von praestare'; arch. lexicogr. VII p. 114.

2) Qui locus etiam Schmalz ZS. f. d. Gymn. w. p. 129; Hellmuth 'Balbus' p. 49 fuisse ignotus videtur.

dicis, melior et probabilior esse videatur, ut in contionibus et sententiis dicendis ad persuadendum tua plurimum valeat oratio, denique ut prudentibus diserte, stultis etiam vere videare dicere'. Apud aequales, etsi paucis locis,' praestare, ut — ne' traditur: apud Caelium ad fam. VIII 10, 5 [ne]; ap. Cassium XII 13, 4 [ne]; ap. Marcellum IV 11, 2 [ut]; ap. Plancum X 23, 6 [ut]. — Cicero ipse de constructione, quae ab hoc verbo dependeat, dubitare videtur; nam illo uno loco, quem supra attuli, succedit 'ut' particula, at pr. Flacco 12, 28 constructio accusativi cum infinitivo: 'Nulli erant praedones. Quid? nullos fore quis praestare poterat?'; item ad Att. XII, 32; 2; Phil. XII 9, 23; aliis locis. Sermo cottidianus quoque, qui demum aetate Ciceroniana verbum 'praestare' = 'fideiubere' nescio an receperit, est dubius, quomodo hoc verbum construatur: Balbus enim ad Att. IX 7, B 2; auctor b. Hisp. 19 [1]); alii cum accusativo cum infinitivo, illi familiares, quos antea commemoravi, coniungunt cum 'ut — ne' particulis. Uterque dicendi usus eodem fere tempore in ore hominum erat; Brutus eum sequitur, qui in sermone cottidiano pervulgatissimus erat ['praestare, ut']. — Ex aetate, quae postea est, huius constructionis cognovi exempla haud ita pauca, velut Curt. V 5, 22; Plin. n. h. 25, 16; 28, 115; 29, 85. De verbo 'praestare' iam disseruerunt Opitz l. l. p. 10; Schmalz ZS. f. d. Gymn. w. p. 129; Hellmuth 'Balbus' p. 49.

redintegrare: XI 9, 1 'ne bellum nobis redintegrare possit'. Verbum 'redintegrare' ab usu scriptorum priorum abest; tria exempla apud Varronem in libris de re rustica reperiuntur: II 2, 11 'ut redintegrantes rursus ad pastum alacriores faciant [greges]'; ibid. 'iucunditas in herba redintegrabit [pecus]'; III 7, 6 'quod libero aere redintegrarentur [columbae]', qui loci vim propriam recreandi praebent. Tum

1) Quem locum Nipperdey ita emendavit: 'tali virtute et constantia [futurum] me in te praestabo'.

exstat duobus locis auctoris ad Her.: II 30, 47 'orationem red.', IV 28, 38 'verbum red.' et uno loco Ciceronis: d. inv. I 52, 99 'memoria auditoris redintegrabitur'; his locis significat 'verba vel sententias iterare'. Paullo post iam apud Caesarem in commentariis de bello Gallico 'proelium redintegrare' legitur: 1, 25; 2, 23; 27; pariter Brutus 'bellum redintegrare' locutionem formavit. Hoc fere tempore igitur transitus significationis propriae = 'erquicken' in progressione sermonis cottidiani ad translatam notionem 'erneuern' esse effectus videtur, unde Caesar et Brutus illum usum hauserunt, quem Cicero ut urbanitati non idoneum repudiat. Livius postea hunc dicendi morem adamat.

succurrere: XI 1, 4 'succurret fortasse hoc loco alicui vestrum', hier könnte vielleicht dem einen oder andern von Euch einfallen. Miror, quod Draeger 'Hist. Synt.' II p. 422 dicit: formam 'succurrit' = 'occurrit' non apud Ciceronem ipsum, sed apud filium ad fam. XVI 21, 6 'illud etiam mihi succurrebat, grave esse ...' exstare, quamquam praeter hunc locum, quem ego supra protuli, etiam apud Ciceronem ipsum ad Att. XIV 1, 2 'ut enim quidque succurrit, libet scribere' 'succurrit' hac significatione praeditum traditur. Iure scilicet Draeger II p. 353 hunc usum formae 'succurrit' posterioribus aetatis classicae temporibus attribuit; nam et apud Ciceronem in libris atque orationibus et apud ceteros optimos scriptores 'occurrit' usitatum est; succurrit' autem tribus locis epistularum solis exstat, quare nescio an conici possit verbum 'succurrit' = 'occurrit' ex more cottidiano ortum esse. — Prius sermo cottidianus 'es fällt ein' verbo 'dicere' expressit; cuiusmodi quidem nonnulla exempla apud Terentium mihi nota sunt: Andr. IV 1, 16 'atque aliquis dicat'; Phorm. II 2, 20 'dices: ducent ...' — Inde ab aetate Liviana 'succurrit' percrebrescit.

in spem venire: XI 13a, 4 'In spem venerant, quod ...' — Locutio 'in spem venire' est, ut Hellmuth 'Balbus'

p. 54 merito ait, sermonis cottidiani propria; apud Ciceronem exstat ad. fam. IX 1, 1 'in spem tamen venio appropinquare tuum adventum', d. or. II 54, 217 'nonnullam in spem veneram'; nullo loco orationum. Ex aequalibus illud tradunt: Balbus ad Att. IX 13, 2 'postquam rursus in spem pacis veni', ibid. Caesar 'cum in spem venero de compositione aliquid me conficere'; Caesar d. b. G. 1, 18; 42; 3, 6; 7, 12; 30; d. b. c. 1, 72. — Cuius locutionis quasi contrarium Brutus exprimit verbis 'spem abicere' ad fam. XI 11, 1 'ne de Planco quidem spem adhuc abiecit', quod illa aetate non nisi apud Ciceronem Verr. I 22, 59 'socii ... spem omnem tum primum abiecerunt rerum'; apud Balbum ad Att. IX 7 B, 2 'abiectam compositionis spem' invenimus.

In fine huius partis mihi liceat pauca verba facere de locutione: 'exploratum habere': XI 10, 1 'gratiorem me esse in te posse, quam isti perversi sint in me, exploratum habes' = du weisst sicher. Haec locutio a Cicerone primum creberrimeque in scriptis philosophicis atque in epistulis, at in orationibus atque in scriptis oratoriis nusquam exhibita obtinet vim praesentem ideoque exprimit non idem, quod 'exploravi', cfr. Thielmann 'habere c. part. perf. pass.' arch. lexicogr. II 529 s. 'Exploratum habere' ex consuetudine dicendi cottidiana formatum esse multa eiusmodi exempla apud comicos inventa docent. Ii quoque Ciceronis aequales, qui sermonem cottidianum secuti sunt, talibus locutionibus libenter utuntur, cfr. Opitz l. l. p. 6. Usitatissima est verborum consecutio 'exploratum habere' et apud Ciceronem et apud aequales; quam Brutus quoque loco supra dicto exhibet. Quo ab usu Cicero tribus locis, acad. II 26, 85; II 42, 129; d. nat. d. I 19, 51, recedit. — Inspiciendus est Hellmuth 'Balbus' p. 54.

e) de formulis quibusdam sermonis cottidiani.

crede mihi: XI 20, 2 'nam de tuo periculo, crede mihi, iactatione verborum et denuntiatione periculi sperare

eos ...'; XI 26' crede mihi [1]), ..., magnum nos omnes adituros periculum.' — Ante aetatem Ciceronianam promiscue legitur: 'mihi crede' apud Terent. Adelph. I 2, 21; ap. Lucil. frgm. ed. Mueller, dub. 9; 'crede mihi' ap. Plaut. Men. V 9, 30 [at Brix hoc loco legit: 'mihi crede']; ap. Terent. Andr. II 4, 6; Heaut. I 1, 30; ap. Lucil. frgm. XXXVIII 59. — Cicero autem nisi in epistulis datis ad Att. V 10, 1; VI 6, 1; VIII 14, 1; XI 6, 1 [crede inquis mihi]; XIV 15 [2] 1; ad fam. X 6, 2 ['crede igitur mihi, Plance'] et in una oratione: Verr. IV 59, 133 ['credite hoc mihi'] nusquam exhibet formulam 'crede mihi'; in scriptis igitur dictionis politae semper 'mihi crede' locutionem suppeditat. Propterea in discordia sententiarum, quae inter Draeger 'Hist. Synt.' et Gruber [2]), Klotz [3]), Raschig [4]) intercedit, sequor Klotzium cum Schmalzio [ZS. f. d. Gymn. p. 115] consentientem: 'crede mihi' formulam vitae cottidianae, 'mihi crede' consuetudinis dicendi urbanae esse. Et profecto legimus illud 'crede mihi' apud scriptores, qui in sermone cottidiano versantur, velut apud scriptores eos [5]), qui ad Ciceronem epistulas dederunt, ut apud Brutum locis supra allatis, apud Sulpicium ad fam. IV, 5, 4, apud Caelium VIII 14, 4; 17, 1; etiam apud Ovidium locis novem [uno loco 'mihi crede'], apud Petronium ita legitur. Sed saturae, epistulae Horatii,

---

1) Notabile est, hoc loco utroque ex formula 'crede mihi' accusativum cum infinitivo dependere, quam constructionem praeterea solos apud Balbum ad Att. VIII 15 A, 1; ap. Ciceronem ad fam. X 6, 2: ap. Cassium XII 12, 4 — fortasse huc spectat VI 13, 3 — legimus; ceteris omnibus locis 'crede mihi', 'mihi crede' formulae 'paratactice', quod dicitur, exstant; cfr. Hellmuth 'Balbus' p. 45 s.

2) Cic. d. off. ed. J. v. Gruber, ann. ad III 19, 75.

3) Klotz ad Cic. Tuscul. p. 100.

4) Raschig 'de Antibarbaro ab J. Ph. Krebsio edito iudicium fecit'. Prgr. Zwickau 1837 p. 27—32. [29].

5) At Q. Cicero ad fam. XVI 16, 1 'mihi crede' tradit; octies 'crede mihi'.

epistulae Senecae, Plinii exquisitum Ciceronis sermonem imitantur, cum semper fere 'mihi crede' subsecutionem praebent. — Primum de hac re disseruit K. F. Suepfle 'Cic. ep. sel.' 8 p. 323 cuius viri sententiam secutus Schmalz 'ZS. f. d. Gymn. w.' p. 114—116, 'ad Reisig H. adn. 618, Antibarbar. I p. 338 s. accuratissime exposuit. Iudicium a Schmalz factum omnes fere, qui de illis formulis agunt, verum agnoscunt, ut Landgraf ad Cic. pr. Rosc. Am. p. 307 s., Burg l. l. p. 64, Hellmuth 'Balbus' p. 55 s. — At Draeger 'Hist. Synt.' II p. 214 censet utramque vocabulorum collocationem sine certo discrimine promiscue exhiberi; Kuehner II p. 1071 ann. 8 est opinatus Ciceronem scribere 'mihi crede', ut formulam, quae finem pentametri redoleat, vitet. — Praeterea sunt Mahne, Misc. Lat. I p. 41 ss., Georges in Phil. Rundschau 1881 p. 1306, Scholl Bl. f. d. bayr. Gymn. w. 1884 p. 15 inspiciendi.

Similiter se habet usus formulae huius:

si tibi videtur: XI 19, 1 '[litterae] si qua tibi videbuntur, commutes'; 20, 3 'deinde de praemiis, si tibi videtur, ...'. — Formula 'si videtur — i. e. sine 'mihi', 'tibi' praepositionibus — apud Ciceronem in libris sermonis urbani, ut in dialogis philosophicis, exstat; etiam in orationibus in primisque in Philippicis 'si videtur' crebrius quam 'si tibi videtur' obviam fit. Caesar quoque ita scribit, ubi urbanitas postulat, ut d. b. G. V 36 'Ille cum Cotta saucio communicat, si videatur, pugna ut excedant'; sed Cicero in iis epistulis, in quibus ad sermonem cottidianum descendit, semper fere 'si tibi videtur' formulam tradit, exceptis locis his [1]): ad fam. IV 2, 4; IX 8, 2; ad Att. XI 25, 3; XII 28, 1. Eadem formula in epistulis praeter Brutum utuntur: Sulpicius ad fam. IV 5, 4; Balbus ad Att. IX 7,

1) Huc quoque spectat: 'ut videbatur' ad Att. VII 2, 8; XII 37, 3; XIII 14, 1; ad fam. XVI 20; 'quantum videbitur' ad Att. XIV 17, 5.

A 2; B 2; Pompeius ibid. 12, A 3; cfr. id, quod Schmalz ZS. f. d. Gymn. w. p. 113 contra Suepfle ad ep. 64 [ad fam. IV 2], contra Halm ad Cic. Cat. 4, 7, contra alios dicit; cfr. etiam Hellmuth 'Balbus' p. 54 s. — Cornificius quoque scribit 'si tibi videtur'; cfr. Thielmann l. l. p. 358.

Quid ergo est, inquis, tui consilii? XI 1, 3. Was ist somit dein Rat, wirst du fragen? In hac structura inest formula interrogationis in usu cottidiano usitatissima 'quid ergo est'? quam Cicero adulescens prioribus in orationibus frequentat, velut pr. Quinct. 2, 6; 3, 11; 30, 94; pr. Rosc. Com. 5, 15. De hac formula iam exposuerunt Landgraf ad Cic. pr. Rosc. Am. p. 208; Schmalz 'Vatinius' p. 48; Burg l. l. p. 63 s.

Sed haec hactenus. — Iis, quae his scidis mandavi, primam commentationis partem, quae est de singulis verbis, ad finem perduxisse mihi videor. Quodsi verborum delectum ante oculos ponimus, primum mirari debemus, quod apud Brutum ne unum quidem substantivum in 'tor' vel 'sor' desinens exstat, quamquam talia verba apud Ciceronem et apud eos, qui ad eum litteras dederunt, increbruerunt 1). Sed hoc casu, non consilio esse factum videtur; nam in epistulis nullum locum legi, quo Brutus eiusmodi, ut vitaret, nomina circumscriberet. Deinde notabile sane videtur esse, apud Brutum adiectiva, quorum exitus est 'bilis, non inveniri, quibus cum sermonem urbanum tum cottidianum sermonem, cui epistularum scriptores studuerunt, abundasse inter omnes constat. Atque etiam desidero aliquem usum adiectivorum syllaba 'ax' terminatorum, de quibus Ludwig 'De Petronii serm. pleb.', Lips. 1870 p. 30 dicit: 'quamquam etiam a scriptoribus optimis non aliena est, tamen in sermone rustico tam crebra est illa formandi ratio, ut in deli-

---

1) Burg l. l. p. 43; Meyer l. l. p. 22 s.; Krause l. l. p. 8 s.; Opitz l. l. p. 15; Schirmer l. l. p. 9; Schmalz 'Pollio' p. 35 s.; Stinner l. l. p. 6 s.

ciis plebis collocanda sit'; cfr. etiam Guericke l. l. p. 31; Landgraf l. l. Bl. f. d. bayr. Gymn. w. p. 277, Paucker l. l. p. 45. Item Brutus adiectiva in 'ernus, lentus, bundus' non adhibet. Eo plura autem participia[1]) cum praesentis tum perfecti, quae munere adiectivorum funguntur, suppeditat. — Tamen, si Bruti genus dicendi, quale ex verborum delectu perspiciatur, consideramus, hunc permulta vocabula atque locutiones permultas sermone e cottidiano hausisse et ea, quae primum exhibeat, prorsus ex usu vitae cottidianae formasse videmus, velut 'valde quam' p. 11; 'frenum mordere' p. 11 sq.; 'tota ista cantilena ex hoc pendet' p. 26; 'ad novissima auxilia descendere' p. 15 s.; talia. Atque interdum vocabula, quae quidem sermo urbanus admittit, alia vi praedita ex consuetudine dicendi cottidiana adhibet. Affero exempli causa 'vacuitas' nomen; cfr. p. 9. Quae dictionis cottidianae libertas apud Brutum, quippe qui humanitate non nimis tinctus sit, nihil miri habet, praesertim cum ii, qui in libris conficiendis orationem exornant atque poliunt, in epistulis ad propinquos vel amicos scribendis neglegentius verba facere soleant. — Quodsi sermonem cottidianum, quo Brutus utitur, breviter diiudicamus, eum vocabulis locutionibusque ex usu et militari et politico depromptis esse coloratum intellegemus. Quid mirum! Brutus miles fuit; iam adulescens in bello Gallico [b. G. 3, 11; 7, 9; 87] inter eos, qui circum Caesarem erant, stipendia meruit; tum in bello civili a Caesaris parte stetit [b. c. 1, 36; 57; 2, 3; 5, 22].

1) Non alienum videtur a proposito breviter hoc loco participia adiectivorum munere fungentia enumerare, quibus Brutus in epistulis usus est:

part. praes.: XI 19, 1 egens; 20, 2 vitans; 28, 1 valens.

part. perf.: 13a, 2 [pessime] acceptus; 10, 3 armatus; 20, 2 cautus; 11, 1 confirmatus; 13a, 2 extenuatus; 10, 1 honoratus; 13a, 2 impeditus; 13a, 5 paratus; 20, 2 pertimefactus; 10, 1 perversus; 20, 4 reconditus; 13a, 5 sceleratus.

Deinde fuit in numero coniuratorum, qui Caesarem interfecerunt ideoque illud bellum conflaverunt, quo Brutus et militares et politicas partes egit. Quare fieri potuit, ut sensus suos verbis et militaribus et politicis explicare assuesceret. In primis apud eum verba militaria viguerunt: hic dicendi mos, quem iam militia ita ferebat, apud Brutum nescio an confirmatus sit, quod in familiaritate atque consuetudine Caesaris versabatur, qui quidem vocibus militaribus in loquendo et scribendo utebatur. Huc accessit, quod Brutus tum ipsum, cum has epistulas scripsit, in paratu et tumultu belli versabatur — nam plurimas litteras ex castris dedit —; itaque neque otium neque animi tranquillitatem ad emendate atque eleganter scribendum habuit neque procul afuit, quin in litteras verba e sermone cottidiano hausta insereret vel locutionibus ad vitam privatam spectantibus militaris vitae verba immisceret ['sumptui subsistere' p. 17]. Pariter etiam verba politica in epistulas Bruti irrepserunt: Brutus cum Caesare interfecto respublica labefieret summo studio, ut res optimatium administraret, nisus est. — Sane quod, quae inter Brutum et Ciceronem referuntur, in primis ad res publicas bellicasque spectant.

Ut de Bruti sermone cottidiano distinctius atque certius iudicium feramus in altera parte quasdam res grammaticas proferam.

2. OBSERVATIONES QUAEDAM DE PROPRIETATIBUS AD REM GRAMMATICAM SPECTANTIBUS.

I.

Primum de superlativis quibusdam rarissimis agam.

a) de superlativis quibusdam, quae apud Brutum primum exstant.

extenuatissimus: XI 13a, 2 '[copiolae] sunt extenuatissimae et inopia omnium rerum pessime acceptae', sie sind äusserst zusammengeschmolzen und durch Mangel an Allem ganz übel zugerichtet. Cuius superlativi quamquam hoc exemplum unum reperitur — 'attenuatissimus' [auct. ad Her. IV 41, 53] quoque est semel dictum —, tamen verisimile est eum in usu dicendi cottidiano fuisse, cum Cicero ipse in libris et in epistulis magnam copiam superlativorum [1]) cum participii perfecti passivi tum coniugationis primae habeat. Quodsi hic usus apud Ciceronem satis creber est, sermonem cottidianum etiam maiorem redundantiam talium superlativorum praebuisse nescio an dici possit. Etiam positivus 'extenuatus' apud scriptores aetatis optimae, quae nominatur, duobus locis solis legitur: Cic. d. nat. d. II 39, 101 'aer extenuatus sublime fertur',; auct. b. Afr. 59 'Numidas in subsidiaria acie ita extenuatos'; tamen inter adiectiva moris dicendi cottidiani fuisse puto; cfr. Rebling l. l. p. 25 [adiectiva in 'atus' sunt sermonis cottidiani propria.] Fortasse hoc vocabulum ex sermone militari, quem apud Brutum et apud auctorem belli Africani prae se fert, in usum vitae cottidianae influxit. Saepius Cicero [2]) adiectivo — participio 'attenuatus' utitur, quod in primis auctor ad Herennium [3]) in deliciis habet. Uterque praecipue ad orationem adhibet. — Eodem ex fonte, quo 'extenuatissimus', videtur effluxisse:

persuasissimus: XI 9, 2 'sed quod mihi persuasis-

---

1) Cfr. ad superlativos part. perf. pass. cf. libros hos: Draeger I p. 29—34; Kuehner I p. 362 ann. 4; Lupus, Sprachgebr. d. Cornel. Nep., Berl. 1874 p. 98; Naegelsbach p. 191 s.; Neue II 119—128. — Praeterea cfr. Eberhard, 'De Vitruvii genere dicendi', Prgr. Durlach 1887 p. 3; app. ad prim. par. 1888 p. 1, quibus locis superlativi participiorum, qui apud Ciceronem et apud Vitruvium exstant, enumerantur.

2) Velut pr. leg. Manil. 11, 30; Brut. 55, 201; 82, 283.

3) Velut 3, 14; 4, 8; 10; 41.

simum est Lepidum recte facturum numquam', sondern weil ich fest überzeugt bin, dass Lepidus niemals den redlichen Mann machen wird. Ante Brutum huius superlativi exemplum nusquam exstat; ex scriptoribus posterioribus hanc formam recipiunt: Colum. XII 1, 5 [Ea porro persuasissimum habere debebit]; Sueton. Ner. 29 [Ex nonnullis comperi persuasissimum habuisse eum ...]. — Semel dictum est.

ventosissimus: XI 9, 1 'in primis rogo te, ad hominem ventosissimum, Lepidum, mittas', vor allem bitte ich dich, zum Lepidus, dieser vollständigen Wetterfahne von einem Menschen zu schicken. — 'Homo ventosissimus', quem abundantiae cuiusdam superlativum Brutus exhibet, e sermone cottidiano dicitur, qui in primis in reprehensione quasi pleno ore loqui amat, cum hoc loco iam positivo 'ventosus' inconstantia atque mutabilitas illius Lepidi satis significatae essent. Adiectiva enim in 'osus' desinentia iam propter exitum 'osus' vim superlativam obtinent, cfr. Reisig I § 110[1]). Alio quidem loco huius potestatis Brutus fuisse memor videtur: nam ibi, quamquam concinnitas verborum superlativum postulat, tradit: 'genus hominum adversariorum seditiosum et incertissimum' XI 19, 2: cfr. id, quod Landgraf 'Untersuchungen zu Caesar und seinen Fortsetzern, insbesondere über Autorschaft und Composition d. bell. Alex. u. Afric.', Erlangen 1888 p. 86 ad b. Alex. 3, 1 'ipsi homines ingeniosi atque [acutissimi]' annotat. — 'Ventosior' comparativi unum exemplum e sermone poetico notum est: Ovid. Am. II 9, 49 'Tu levis es multoque tuis ventosior alis'. — 'Ventosus' adiectivum exstat primum apud Afranium 104

---

1) Adiectiva in 'osus' exeuntia sunt inter vocabula vitae cottidianae referenda: cfr. Burg l. l. p. 44; Landgraf Bl. f. d. bayr. Gymn. w. p. 319 s.; Meyer l. l. p. 25; Stinner l. l. p. 11 s. — Praeterea sunt inspiciendi: Guericke l. l. p. 32; Paucker 'Materialien zur latein. Wörterbildungsgesch. [ed. Rönsch], Berlin 1884 p. 72—92. Schönwerth-Weymann, arch. lexicogr. V p. 192 ss.; Stolz ibid. p. 368.

frgm. Ribb. II 'quis tu es ventoso in loco soleatus' ibique vi propria praeditum; deinde Cicero et Brutus eodem fere tempore translata notione = 'wetterwendisch' utuntur: Cicero Phil. XI 7, 17 'extraordinarium imperium populare atque ventosum est' et Brutus hoc loco, quem supra attuli. Tamen Ciceronem prius quam Brutum vim translatam in usum vocasse apparet ex eo, quod L. Gurlitt[1]) dicit: hanc epistulam decimam a Bruto secundo die post pugnam Mutinensem [a. d. III Kal. Maias] in castris Regii scriptam esse. At Cicero undecimam orationem Philippicam, in qua 'ventosus' traditur, iam circa medium Martium mensem habuit[2]). Quae cum ita sint, cum eodem fere tempore haec translata notio duobus locis legatur, sequitur verbum 'ventosus' tum ad mutabilitatem animi in rebus publicis exprimendam in hominum ore fuisse. Similiter Cicero aliique scriptores mutabiles sensus populi cum aura conferunt, quam auram popularem dicunt. Aetate insequenti eundem translatum usum, quem hic, et apud rerum scriptores et apud poetas legimus, velut apud Vergil. Aen. 11, 390; 708; Horat. ep. I 19, 37; II 1, 177; Liv. 42, 30.

b) de superlativo quodam, qui apud ceteros scriptores raro exstat.

novissimus: XI 1, 3 'ad novissima auxilia descendamus'; 1, 4 'cur novissimum tempus exspectemus potius'; 1, 5 'post novissimum Hirtii sermonem'; 20, 1 'novissime Labeo Segulius narrat mihi'. Atque eo magis miror, quod Brutus hunc superlativum satis rarum non modo omnino quater, sed etiam ter in una eademque epistula exhibet. — De origine superlativi 'novissimus' legimus apud Varronem Ling. Latin. VI § 59 [Spengel] haec: '... novam fabulam [dicunt], cum agunt; ...' A quo etiam extremum Novissi-

1) Gurlitt, L., 'Briefwechsel etc.' p. 611; 621.

2) Teuffel, W. S., 'Römische Literaturgeschichte', Leipzig 1890, p. 332.

mum quoque dici coeptum volgo, quod mea memoria ut Aelius sic senes aliquot, nimium novum verbum quod esset vitabant, quoius origo, ut a vetere vetustius ac veterrimum, sic ab novo declinatum [novius et] novissimum, quod extremum.' — Quo ex loco Varronis facile concludi potest eius aetate in sermone cottidiano usum superlativi 'novissimus' iam viguisse eumque ab iis, qui urbanitati studuerunt, ut impolitum esse repudiatum. Nihilo minus Varro ipse d. R. R. I, 2, 11 [quod ludis circensibus novissimi curriculi finem fecit quadrigis] superlativum 'novissimus' = letzter atque duobus locis adverbium 'novissime' = zuletzt (ibid. I 31, 4; I, 64) exhibet. A verbis supra allatis Varronis [L. L. VI § 59] non discrepat annotatio Gellii N. Att. X 21, 1 et 2: 'Non paucis verbis, quorum frequens usus est nunc et fuit, M. Ciceronem noluisse uti manifestum est, quod ea non probaret: velut est et 'novissimus' et 'novissime'. Nam cum et M. Cato et Sallustius et alii quoque aetatis eiusdem verbo isto promiscue usitati sint, multi etiam non indocti viri in libris id suis scripserint, abstinuisse eo tamen tamquam non Latino videtur, quoniam qui doctissimus eorum temporum fuerat, L. Aelius Stilo, ut novo et improbo verbo, uti vitaverat'; cfr. etiam Cat. frgm. Jordan 89, 24. Neque enim Varro dicit tum superlativum 'novissimus' omnino primum exhibitum, sed tum primum vulgo in usum receptum esse; ergo non negatur 'novissimus' formam antea iam apud Catonem exstitisse. Quod de Ciceronis usu Gellius addit, recte se habet; nam uno loco solo Cicero illum superlativum tradit: pr. Rosc. Com. 11, 30 'itaque perbrevi tempore, qui ne in novissimis quidem erat histrionibus, ad primos pervenit comoedos'; quo loco novissimis histrionibus primos ex ordine opponit [Landgraf, 'De Cic. eloc.' [1]) p. 48]. Praeterea 'no-

1) Landgraf, 'De Ciceronis elocutione in orationibus pro P. Quinctio et pro Roscio Amerino conspicua', Würzburg 1878.

vissimus' in illa Pseudo-Ciceroniana epistula ad Octavianum legitur, ubi § 3 eodem modo atque supra opponitur: 'novissima conferam primis'. Postea Cicero superlativum 'novissimus' reicit exhibetque formam, quae est 'extremus', velut ad Att. VI 1, 20; 'recentissimus' velut ibid. 1, 1. Brutus ad fam. XI 1, 5 superlativum 'novissimus' = 'recentissimus'; ibid. 1, 3; 1, 4 = 'extremus' tradit. Ex ceteris illius aetatis scriptoribus formam 'novissimus' reperimus apud Sallust. Iug. 71, 3 [omnium consiliorum nisi novissimi particeps]; ap. Nep. Eum. 1, 6 [novissimo tempore]; ap. Hirt. b. G. VIII epist. ad Balb. § 2 [contexui novissimum]; ap. auct. b. Hisp. 33 [novissimo tempore]; ex iis aequalibus, qui ad Ciceronem litteras dederunt, hunc superlativum recipiunt: S. Sulpic. Galba ad fam. X 30, 4 [recipere me novissimus coepi ad castra], L. Cassius XII 13, 1 [haec novissima nostra facta]. Quoniam Cicero superlativum 'novissimus' uno loco in una ex primis orationibus, adverbium 'novissime' nusquam exhibet et ex aequalibus soli ii scriptores, qui sermoni cottidiano favent, tradunt, illas formas usus vitae cottidianae propria fuisse concludi potest. Praeterea 'novissimus' in lingua militari exstat; ita Caesar verbis 'novissimus' vel 'agmen novissimum' pro terminis militaribus ad id quod est 'Nachhut' exprimendum identidem utitur. — 'Novissime' adverbium praeter Brutum ad fam. XI 20, 1 [novissime Labeo ... narrat mihi] = 'kürzlich' legitur aetate priore apud Catonem; cfr. illam annotationem Gellii, quam supra attuli; apud Varronem d. R. R. I 31, 4; I 64; hac aetate apud Hirtium b. G. 8, 48; apud Cassium ad fam. XII 13, 3 = 'zuletzt'; apud Plancum ad fam. X 17, 3, apud Sallustium Cat. 33, 3 = 'kürzlich'; apud Plancum ad fam. X 24, 2 = 'zuletzt' in enumeratione [primum — deinde — novissime]. Apud scriptores posteriores et 'novissimus' et 'novissime' illis, quas supra explicavi, notionibus praedita haud ita raro leguntur;

'novissimus' quidem crebrius quam 'novissime' exstat; utriusque formae exempla praebent Livius [Kühnast p. 341]; Tacitus [Krause l. l. p. 12]; Quintilianus II 10, 1; Rutilius Lupus § 8; Plinius [ep.], L. Seneca, Suetonius [Bagge l. l. p. 35]. — De illis verbis iam nonnulla exposuerunt: Hellmuth 'Galba' p. 21 s.; Landgraf Bl. f d. bayr. Gymn. w. p. 280; 'De Cic. eloc.' p. 48; 'Caesar und seine Fortsetzer' p. 58; Schmalz Antib. II p. 153.

Nunc structuras nonnullas enumerabo, quae ex more dicendi cottidiano compositae sint vel quae propter asperitatem aliquid notabile habeant. Quarum structurarum haud paucas iam in quaestione verborum attingere debui; veniam petendam mihi esse sentio, quod nonnullae iterum leguntur. In hac parte extrema etiam id proferam, quod prius commemorari cum dispositione proposita non convenit.

II.

De structuris quibusdam.

a) Locos quosdam, quibus seu verba seu sententiae repetuntur, affero:

XI 1, 5: quem in locum convenire possimus, quo me velitis venire, rescribite.

XI 10, 4: haec quemadmodum explicari possint aut, a te cum explicabuntur, ne impediantur timeo.

XI 10, 1: interpellent me, quominus honoratus sim, dum ne interpellent, quominus respublica a me commode administrari possit.

XI 20, 3: quibus rebus potest occurri veteranis, occurras.

XI 13a, 4: quos ipsi[1]) adhuc satis arroganter Allo-

1) Pronomen 'ipse' hoc loco per 'schon, allein' interpretandum est; in hoc venit mihi in mentem horum exemplorum: Caes. d. b. G.

broges equitatusque omnis, qui eo praemissus erat a nobis, sustinebant, nostroque adventu sustineri facilius posse confidimus.

XI 20. 3: illud vide, ne timendo magis timere cogare.

XI 20, 1: te dixisse, laudandum adulescentem, ornandum, tollendum; se non esse commissurum, ut tolli posset.

XI, 1, 4: pro Cassio et te, si quid me velitis recipere, recipiam.

XI 23, 1: nos hic valemus recte et, quo melius valeamus, operam dabimus.

b) Abundantia quaedam verborum apparet ex his:

XI 13a, 4: in spem venerant, quod neque Planci quattuor legiones omnibus suis copiis pares arbitrabantur neque ex Italia tam celeriter exercitum traici posse credebant.

XI 13a, 5: vos magnum animum optimamque spem de summa republica habere volumus.

XI 4, 1: non tam nomen imperatorium captans quam cupiens militibus satis facere firmosque eos ad tuendas nostras res efficere.

XI 20, 1: ipsum Caesarem nihil sane de te questum nisi dictum quod diceret te dixisse, laudandum adulescentem, ornandum, tollendum.

XI 9, 2: sed quod mihi persuasissimum est Lepidum recte facturum numquam, si forte vobis id de hoc dubium est.

IV 33, 1 [ipso terrore equorum ordines plerumque perturbant]; b. c. III 49, 1 [ipsa spes inopiam sustentabat]; Cic. acad. II 49, 127 [indagatio ipsa rerum occultarum habet delectationem]; d. fin. II 31, 100. — Qui usus pronominis 'ipse' etsi haud ita paucis probatissimorum locis scriptorum exstat, tamen loci, quibus 'ipse' a substantivo, quocum est sensu coniunctum, tam procul distet, vix reperiuntur.

XI 13a, 3: nam suos valde quam paucos [milites] habet.

XI 9, 1: in primis rogo te, ad hominem ventosissimum, Lepidum, mittas.

c) Dignae, quas commemorem, sunt structurae hae:

XI 10, 3: [Antonius] ergastula solvendo[1]) omneque genus hominum arripiendo satis magnum numerum [militum] videtur effecisse.

XI 10, 4: sed neque Caesari imperari potest nec Caesar exercitui suo.

XI 10, 5: tantum abest, ut meae rei familiaris liberum sit quicquam, ut omnes iam meos amicos aere aliens obstrinxerim.

XI 11, 1: ne de Planco quidem spem adhuc abiecit, ut ex libellis eius animadverti, qui in me inciderunt[2]).

XI 11, 1: et biduo ab Allobrogibus et totius Galliae legatos exspecto, quos confirmatos domum remittam.

XI 20, 1: saepe enim mihi cum esset dictum neque a me contemptum, novissime Labeo Segulius, homo sui simillimus, narrat mihi apud Caesarem se fuisse.

XI 20, 3: deinde de praemiis, si tibi videtur, agros eorum militum, qui cum Antonio veterani fuerunt, his censeas dandos ab utrisque nobis.

d) De locutionibus, circumscriptionibus per verba 'coepi, dare, esse, facere, habere' effectis.

α) coepi: XI 13a, 3 'contio eius ad me est allata, in qua petere coepit a militibus'; atque etiam in eadem para-

---

1) Notabilis est haec structura, quod Brutus pro participio perf. pass., quae forma usu dicendi bono hic postulatur, gerundivum exhibet; cfr. Kuehner II p. 564. ann. 4.

2) 'In aliquem incidere' = in die Hände Jemandes fallen; haec locutio sermone ex cottidiano parum accurata obtinet locum dictionis urbanae: 'alicui in manus incidere'.

grapho: '[milites] et orare coeperunt, ut Pollentiam iter facerent'. — Utroque loco quamquam initio actionis [petendi, orandi] ne minimum quidem gravitatis attribuere vult, Brutus verbum 'coepi' cum infinitivis 'orare, petere' pro perfectis horum verborum ponit. Quam circumscribendi rationem Hellmuth 'Galba' p. 28 merito atque iure cum verbo in nostro sermone cottidiano usitatissimo 'thun' comparat. Illum verbi 'coepi' usum ex consuetudine cottidiana emanasse iam eo apparet, quod apud Terentium in sermone servili exstat: Heaut. I 1, 45; 47. Ceterum etiam apud Ciceronem hic dicendi usus obviam fit atque is in primis in prioribus orationibus, cfr. Hellmuth 'Pr. Cic. orat.' p. 453 s.; maxime autem viget apud auctorem belli Hispaniensis, cfr. Degenhart, 'De auctoris belli Hisp. elocutione et fide historica', Wuerzburg 1877 p. 4 s.; Koehler l. l. act. Erlang. I p. 161; alii quoque aetatis bonae scriptores huius sermonis exempla suppeditant; cfr. Landgraf 'Galba' p. 28; Schmalz, ZS. f. d. Gymn. w. p. 110 s.; Thielmann, Bl. f. d. bayr. Gymn. w. p. 207. Omnino nulla aetas hoc genere circumscribendi cottidiano caret.

β) 'dare' [1]) verbum apud Brutum legimus his in locutionibus: agros dare XI 20, 3; locum fortunae d. 1, 3; negotium d. 26, 1; operam d. 9, 1; 13a, 4; 13a, 5; d. operam 23, 1, de utroque verborum ordine cfr. Draeger, 'Histor. Synt.' II p. 264 s.; provinciam d. 1, 1; stipendium d. 23, 1.

γ) 'esse' verbum exstat apud Brutum in locutionibus his:

α') 'esse' cum adverbiis coniunctum [2]).

1) Cfr. Thielmaun, 'Verbum dare im Lateinischen', Leipz. 1882.

2) Ad hanc partem inspiciendi sunt libri hi: Draeger 'Hist. Synt.' I p. 192 ss.; Holtze 'Synt. pr. script. lat.' II p. 6—8; Kuehnast 'Livian. Synt.' p. 52 ss.; Kuehner II p. 7; Krause l. l. p. 20 ss.; Mueller, C. F. W., Philol. IX p. 617—626; Naegelsbach § 144; Rebling l. l. p. 11; Stinner l. l. p. 23 ss.

Consuetudo 'esse' verbi cum adverbiis coniungendi iam a comicis adamata est, neque quidquam hic usus habet, quo offendamur: neque enim in his locutionibus 'esse' est copula, quae a grammaticis vocatur, sed verbum, quod proprie dicitur. Quem sermonis cottidiani morem cum ceteri scriptores aetatis classicae tum Cicero[1]) desumpserunt; in primis in epistulis, quae ex illa aetate traditae sunt, huius usus permulta exempla inveniuntur. — Minus saepe collocant adverbium iuxta 'esse' verbum Caesar, cfr. Reisig ann. Haas. 392, Draeger l. l. I p. 193; Tacitus, cfr. Draeger, 'Syntax und Stil d. Tacit.' p. 14.

Ex locutionibus, quae apud Ciceronem creberrime in epistulis obviam fiunt, Brutus exhibet has:

profecto est ita XI 4, 1 — cfr. Krause l. l. p. 21, c; Stinner l. l. p. 27 ss.

necesse est XI 10, 4; 19, 1; 20, 4; in medio relinquo, utrum 'necesse' sit adverbium an neutrum adiectivi 'necessis'; — cfr. Rebling l. l. p. 11.

opus est XI 20, 4.

In urbana oratione soluta praeter numerum certum adverbiorum eius usus exempla nisi singulatim non inveniuntur, velut 'comiter et iucunde esse', quod apud Ciceronem in oratione pro rege Deiotaro habita exstat, 'bene esse', alia cfr. Rebling l. l. p. 11; attamen crebrior et expeditior evadit hic usus in iis libris, qui sermonem cottidianum redolent; in iis igitur epistulis maxime, quas Cicero ad amicos vel propinquos dedit. Hae epistulae structuras adverbiales, quae alibi nusquam vel raro leguntur, exhibent; inter eas enumerari potest:

tuto esse, quod apud Brutum exstat XI 1, 1 'aiebat

---

1) Ad orationes Ciceronis cfr. Hellmuth act. Erlang. I p. 135; Landgraf 'Pr. Quint. et pr. Rosc. A.' p. 38; ad epistulas cfr. Stinner l. l. p. 23 s.